antinomia 4, Prado *t.* 1. *Theol. mor. l.* 3. *de legib. q.* 15. Gibalin. *c.* 2. *scient. can. l.* 6. *c.* 3.

7 Impugnatur tradita assertio.

Sed adversus primam conclusionis partem sic argumentor: omne quod potest lege statui, id consuetudine valet introduci: sed lege statui potest, quod juri naturali divino repugnat: igitur & consuetudine introduci potest. Probatur minor; nam non occidere, non furari, præcepta sunt moralia juris naturalis divini, *l. justitia*, *ff. de justitia*, *& jure*, *c.* 1. 50. *dist.* 1. *c.* 1. 23. *q.* 5. Docent Fagundez, Sanchez, & alii in illis præceptis scribentes: sed lege permittitur occidere furem nocturnum, *l.* 2. *C. ad leg. Corn. de sicariis*, *c.* 2. *c. significasti* 18. *c. si nulli*, *de homicidio*, *l.* 1. *& per totum C. quando liceat*: itemque hostem in bello, *c. homicidium* 23. *q.* 5. & furari tempore necessitatis, *c. discipulos*, *de consecr. dist.* 5. *c. si quis propter*, *de furtis*: ergo & consuetudine jus naturale mutari potest. Secundo contra secundam nostri textus partem, ubi asseritur, consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam, posse juri positivo derogare, obstat sequens consideratio: nam consuetudo contra legem non potest esse rationabilis. Tum quia eo ipso, quod est contra legem, est contra rationem, quia lex nititur ratione, *c. erit autem*, 4. *dist. l. quod non ratione*, *ff. de legib.* Tum quia actus talis consuetudinis sunt pravi, qui non possunt peccantibus prodesse, nec eos a legis jugo liberare, unde Hostiensis *in c.* 1. *de tregua*, *& pace*, docuit legem positivam præceptivam, non posse desuetudine abrogari: ergo consuetudo nunquam juri positivo derogare valet. Deinde, nam non semper desideratur, ut consuetudo sit legitime præscripta ad hoc, ut deroget juri positivo: siquidem si Princeps sciat consuetudinem, & ipsa talis sit, ut moraliter sufficiat ad indicandum Principis consensum, sufficit tempus brevius, licet adhuc præscripta non sit. Ita D. Th. 1. 2. *q.* 97. *ar.* 3. *ad* 3. quem sequuntur Soto *l.* 1. *de justit. q.* 2. *art.* 2. Suarez *de legib. l.* 2. *c.* 18. *n.* 17. igitur non semper desideratur, quod sit præscripta.

8 Jus naturalis est immutabilis.

Sed his minime refragantibus, vera est tradita assertio, pro cujus expositione sciendum est primo, naturalia quidem jura divina quadam providentia constituta immobilia esse, *l.* 2. *ff. de usufructu earum*, *l.* 2. *ff. ad Tertyl. l. ean* 8. *ff. de capt. vit.*, §. *sed naturalia*, *Instit. de jure natur. Clementina Pastoralis*, *de re judic.* D. Th. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. *&* 5. Sotus, Suarez, Salas, & alii innumeri Theologi congesti a Valente *in concord. juris Pontif. fol.* 283. *c.* 286. Connanus 1. *comment. c.* 6. *n.* 5. Revardus 2. *var. c.* 1. Cujacius *in l.* 1. *ff. de just. & jure*, Donellus 1. *comment. c.* 12. Ex Philosophis, & Poetis probat Gothofredus *in d.* §. *sed naturalia*: ex practicis plures congerunt Salgado *de supplicat.* 2. *par. c.* 20. *n.* 84. Salcedo *de lege polit. l.* 1. *c.* 8. *n.* 10. Nulla enim lex per se deficit, sive imminuitur, antequam per oppositum usum, seu per legislatorem revocetur, nisi quia perpetua non erat, sed pro certo tempore data, quo finito definit obligare; vel quia in ejus materia est aliqua mutatio, ratione cujus, aut cessat ejus adæquata ratio finalis, aut irrationabilis fit, & injusta: sed lex naturalis non fuit statuta pro definito tempore, nec potest reddi injusta, & irrationabilis: ergo mutari non potest. Accedit, nam cum lex naturæ sit veluti proprietas naturæ rationis, si hæc natura de medio tolleretur, lex etiam naturalis quoad existentiam suam deficeret, & solum per essentiam in mente Dei maneret, ut docet D. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. lex enim naturalis, aut consideratur prout est in Deo, & sic certum est esse immutabilem: vel prout est in homine, & sic manente natura humana, deficere non potest: quod apertius ostenditur facta distinctione inter præcepta negativa, & affirmativa; nam negativa cum res prohibeant intrinsece malas, deficere non possunt, nunquam enim bonum esse potest, quod per essentiam malum est; & ideo hæc semper obligant, & pro semper. Affirmativa vero, licet semper obligent, non tamen pro semper; & ideo quamvis naturalia sint, uno tempore obligant, & alio non; sed non ideo recipiunt mutationem. Hæc enim est illorum natura, quæ solum obligat pro illis occasionibus, in quibus omissio talis actus esset intrinsece mala. Nec contrarium docet D. Tho. *d. q.* 94. *ar.* 5. dum ait, legem naturalem quoad prima principia esse immutabilem; at vero quoad conclusiones illorum in aliquibus propter causas occurrentes mutari posse. Exempla sunt præcepti naturalis reddendi depositum domino petenti; quod non obligat, quando petitur ad damnum reipublicæ: item servandi secretum, quod negativum est non revelandi; & tamen violari potest, si ad defensionem reipublicæ necesse sit: item præceptum non occidendi, quod cessat in casu defensionis, ut supra probavi. Nam sciendum est, legem dupliciter posse mutari, aut deficere: uno modo per mutationem sui ipsius intrinsece, alio modo extrinsece tantum per mutationem alterius. Exempli gr. pater definit esse pater priori modo, si moriatur; posteriori modo absque aliqua sui mutatione, si moriatur filius. Priori ergo modo mutatio contingere potest in lege positiva; secus vero in lege naturali, quæ solum mutari potest extrinsece per mutationem materiæ, quando hic, vel ille casus non cadit sub obligatione naturali, ex aliqua causa peculiari; & in hoc sensu docet D. Thomas, aliqua præcepta naturalia mutari posse: loquitur enim de mutatione extrinseca ex parte materiæ; quo casu naturaliter præceptum non mutatur, quod pro illo casu nunquam impositum fuit, ut in specie text. *in c. quemadmodum*, *de jurejurando*, qui non implet promissionem, quia res non manet in eodem statu, non videtur fidem fallere; nam casus ille non videtur sub eadem promissione comprehensus, quo modo procedunt exempla proxime adducta. Et si aliquando legimus legem naturalem mutari, simul supponere debemus id fieri alia ratione naturali fortiori, & validiori, ut *in l. bona fides*, *ff. depositi*, *l. jus civile* 6. *ff. de just. & jur. l. Stichium* 95. §. *naturalis*, *de solution.* Quo modo dissolvenda sunt argumenta, quæ de servitute contra libertatem naturalem, usucapione, alimentis filiis incestuosis denegatis, & alia, quæ ab Interpretibus vulgo opponuntur, & referunt Faber *in furispr. tit.* 2. *princ.* 3. *per totum*, Donellus *l.* 1. *comment. c.* 8. Connanus *l.* 1. *comment. c.* 4. Inde etiam infertur, neminem posse dispensare in lege naturali, *c. sunt quidam* 25. *q.* 1. Probant late Sotus *l.* 2. *de justit. q.* 7. *art.* 3. Franciscus Valens *ubi sup. n.* 5. Molina *de just. tr.* 1. *disp.* 4. Salas *de leg. disp.* 5. *sect.* 7. *n.* 32.

9 De consuetudine juri contraria.

Deinde sciendum est, proprium consuetudinis esse juri positivo derogare, si legitime præscripta sit, cum requisitis relatis supra *in c.* 1. ut docetur *in l. de quibus* 31. *ff. de legibus*, *l. venditor* 13. §. *si constat*, *ff. communia prædiorum*, *c. relatum q.* 2. *de testam. c. in his* 3. §. *leges*, 4. *dist. c. cum contingat*, *de foro compet. c. cum olim* 6. *hoc tit. l.* 6. *tit.* 2. *par.* 1. Mela *miscel. p.* 3. *c.* 5. non quia potentior consuetudo sit, sed quia posterior; nam sicut lex anterior posteriore aboletur, *l.* 26. *cum sequent. ff. de legibus*: & sic desuetudine, quasi posteriore lege, scriptæ tolluntur leges, non quia consuetudo sit fortior lege, ut inquit Osvaldus *l.* 1. *Donelli*, *c.* 10. sed quia posterior; nam & lex posterior priorem consuetudinem æque tolleret; & tamen non majorem vim consuetudine, sed æqualem habet.

10 Tradiur dubitandi ratio.

Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio præsentis textus; nam cum naturalia jura divina providentia constituta sint immutabilia, nec aliqua lege positiva, similiter nec consuetudine mutari poterunt; cum enim jus naturale dicatur, quod bonum, & æquum est, *l. penult. ff. de just. & jure*, necessario quod illi adversatur, debet esse iniquum, & injustum: sed consuetudo iniquitatem continens nulla est, *c. mala*, 8. *dist.* ergo consuetudo repugnans juri naturali nulla est, neque effectum ullum obtinet. Secundæ vero partis præsentis textus ratio ex eo provenit, nam cum humanæ constitutiones posteriore lege positiva tolli possint, *l. sed & posteriores* 28. *ff. de legibus*, quia lex positiva adaptari debet loco, tempori, & personis, quæ sæpe mutari solent, consequenter mutata ratione legis, mutari lex ipsa valet; & ita similiter contraria consuetudine lex positiva tolli poterit, quia posterior lex non scripta est, ut docet, & illustrat Arellano *l.* 1. *antimon.* 4. *c.* 9. *n.* 5. facit Tertul. *de cor. milit. Consuetudo etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex: nec differt scriptura, an ratione constet, quando & legem ratio commendat.* Unde recte in præsenti docet Gregorius IX. quod licet consuetudine mutari non possit lex naturalis, positiva tamen consuetudine legitime præscripta abrogari in totum, vel in partem valet.

11 Dissolvitur ratio dubitandi.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, ex qua dicebamus, contra præcepta naturalia non occidendi, seu furandi, lege positiva homicidium, & furtum permitti posse: igitur & consuetudine præcepta illa naturalia mutari valent. Quia respondetur, præceptum illud non occidendi, generaliter accipiendum esse, nisi speciales circumstantiæ homicidium licitum reddant; nam si præceptum in illa amplitudine accipiatur, errorem continebit in fide, in quem lapsi sunt Vvaldenses. Semper igitur limitanda est generalitas illorum præceptorum, in casibus, in quibus eadem naturalis lex, vel particularis ad eos revelata contrarium non suadeat, *c. non est nostrum* 23. *q.* 5. unde cum in casibus pro ratione dubitandi expensis naturalis lex contrarium dictet, ut suis locis dicemus, ideo in eis permittuntur homicidium, & furtum. Docet late Franciscus Valens *ubi sup. fol.* 287. Nec secunda difficultas obstat; nam verum est in consuetudine rationem desiderari ad hoc, ut tamquam legitime præscripta possit vincere jus positivum; sed non eo ipso, quod contra legem positivam præscribatur, irrationabilis est; siquidem lex, quæ pro futuris caussis proferitur, *c.* 2. *de const.* potest injusta reddi ex temporis, & rerum mutatione: quare tunc consuetudo contra ipsam legitime præscribitur. Nec tandem obstat augmentum ipsius difficultatis; nam retenta sententia eorum, qui asserunt, non desiderari integrum tempus ad præscribendam consuetudinem, cum datur Principis scientia, & sic sufficiens significatio consensus illius, non obstat noster textus, qui debet accipi de consuetudine independenter a scientia Principis præscribenda sua ratione, & per propriam vim, & efficaciam: tunc enim desideratur, ut præscripta fit per legitimum tempus, quo modo interpretatur nostrum text. P. Suar. *l.* 7. *de legib. c.* 18. *n.* 20.

12 Ex nonitur c. in aliquibus, §. ult. de decimis.

Sed superiori assertioni obstat textus *in c. in aliquibus*; §. *ult. de decimis*, ubi proponitur decimas deberi ex jure divino; præstandas autem esse juxta loci consuetudinem. Quem textum sic expendo: Ex ipso constat obligationem præstandi decimas esse juris naturalis, & divini: sed consuetudine potest ejus præstatio mutari, & alterari: ergo quia consuetudo contra jus divinum introduci potest. Cui difficultati respondendum est, omissa eorum solutione, qui asserunt consuetudinem circa substantiam decimarum admitti posse, consuetudinem quotam decimarum tolli posse, nam tunc non per eam mutatur jus divinum, sed interpretatur. Accedit, nam decimæ præstantur Sacerdotibus in eorum, & pauperum alimoniam: sed consuetudine rationabili introduci potest, ut decimæ remaneant penes ipsos pauperes; nam tunc finis præstationis decimarum non tollitur, sed tantum modus exactionis interpretatur: igitur talis consuetudo, ut non repugnans juri divino, præscribi potest. Docet Lemaistre *de decimis c.* 5. *&* 6.

13 Exponitur c. ad Apostolicam, de simonia.

Secundo refragatur text. *in c. ad Apostolicam*, *de simonia*, ubi cum agatur de simonia, quæ committitur in pretii receptione pro collatione Sacramentorum, statim ea exceptio anne-

annectitur, *Nisi contrarium consuetudine introductum fuerit*: tunc sic argumentor. Juri divino repugnat, ut pretium, vel aliquid loco pretii pro conferendis Sacramentis recipiatur, ut probat Hallier. *de sacris electi. sect.* 2. *art.* 4. *per tot.* sed nihilominus consuetudine introduci valet, ut aliquid præstetur in illis casibus: igitur quia consuetudine potest mutari jus divinum. Cui difficultati, omissa celebri quæstione, an consuetudo contra simoniam præscribi possit, dicendum est, quod licet juri divino repugnet, ut aliquid tamquam pretium exigatur pro administratione Sacramentorum; tamen in eo textu, quod exigitur ratione consuetudinis, non exigitur, ut pretium, sive pro pretio rei spiritualis, nec cum intentione vendendi, vel emendi; sed exigebantur veluti quædam stipendia in vim eleemosynæ accepta per consuetudinem approbatæ: tunc enim laudabilis consuetudo dicitur, ut probat Hallierius *ubi sup.*

Tertio præsenti assertioni obstat text. *in l.* 2. *C. quæ sit longa consuetudo*, ubi Constantinus Imperator diserte scribit, non tantam esse consuetudinis auctoritatem, ut possit vincere rationem, aut legem: igitur quia consuetudo, quantumvis rationabilis, & legitime præscripta, non potest juri positivo derogare. Cui difficultati, ut satisfaciat Cujacius *in paras. ad illum tit. & l.* 2. *feudor. tit.* 1. existimat in eo textu agi de consuetudine, quæ nulla aut parva ratione constat. Mela *p.* 3. *miscel. c.* 5. accipit Constantinum de consuetudine brevis temporis, decem scilicet, vel viginti annorum, quam servari, ac custodiri debere in rebus parvi momenti, rescribit Alexander *in l.* 1. *C. eod. tit.* & ejus consuetudinis non eam esse auctoritatem asserit Constantinus, ut rationem vincat, aut legem. Glossa & Bartolus *ibid.* textum illum accipiunt de consuetudine speciali, quæ legem generalem vincere non potest, juxta text. *in l. venditor*, §. *si constat. ff. communia prædiorum.* P. Vasq. *in* 1. 2. *q.* 97. *ar.* 3. *disp.* 277. *c.* 7. *n.* 61. verum sensum dictæ legis secundæ desumendum esse credit ex illis verbis, *sui momento*; ut sensus sit consuetudinem sui momento, idest, propria virtute non vincere legem; nam is effectus non provenit ex propria virtute consuetudinis, quatenus solus populi usus est, sed quatenus volantate Principis tacite confirmantis fulcitur; & ideo dum ait Constantinus, consuetudinem, & usum non esse vilis auctoritatis, loquitur de consuetudine consensu Principis confirmata, & hoc modo ait habere auctoritatem vincendi legem, non virtuti sue, quatenus est solus usus populi, sed ex consensu Principis. Alii docent, Constantinum minime loqui de consuetudine jam formata, sed de longo usu, seu assuefactione plurium personarum, quatenus factum est, & ex ea jus scriptum resultat: quam consuetudinem docet Constantinus non esse levis auctoritatis, quippe ex ea jus scriptum oritur, sed non adeo grave, ut vincat rationem, aut legem. Sed his omissis placet alia communior interpretatio, quæ asserit, Constantinum in ea lege non negare consuetudinem vincere legem positivam, sed tantum affirmare, non esse majoris auctoritatis, quam ipsa lex separatim, spectata utriusque vi, quod enim fieri potest per legem, potest fieri per consuetudinem, & econtra; sed non amplius, nec majori vi per consuetudinem, quam per legem: itaut sicut lex vincit consuetudinem, ita consuetudo vincat legem; sed non majori auctoritate, quam ipsa vincitur a lege. Alia prosequuntur pro ipsius textus expositione Matheucius *l.* 1. *de ratione juris*, *c.* 33. *a nu.* 29. Osvaldus *l.* 1. *Donelli*, *c.* 10. *littera L.* Suar. *de legib. l.* 7. *c.* 17. *&* 19. Robertus *l.* 2. *rerum judicat. in princ.* Menoch. *l. de arb. q.* 71. *per totam*, Picharlus *in* §. *ex non scripto*, *Instit. de jure natur.* Canisius *in nostra textu*, *num.* 4. Basilius *l.* 6. *de matr. c.* 5. *&* 6. Madera *animadv. c.* 5. *nu.* 8. Cujacius *l.* 2. *qu. Papin. in l.* 1. *ff. de usufru*, Hottomanus *ad Pandectas*, *tit. de legib. nu.* 10. Duarenus *eod. tr. c.* 8. *& disp.* 1. *c.* 31. Tuldenus *ad tit. C. quæ sit longa*, Amaya *in l.* 2. *C. de impon. n.* 5. Carrasco *ad leges recap. de const. c.* 8. Bronchorst, *cent.* 1. *assert.* 9. Hanc interpretationem firmat text. *in c.* 1. *de feudis cognit. in usibus feudorum*, illis verbis: *Legum autem Romanorum non vilis est auctoritas; sed non adeo vim suam ostendunt, ut usum vincant, aut mores*. Ex quibus deducitur, æqualem vim esse legis, ac consuetudinis.

14 Intelligitur l. 2. C. quæ sit long. consuetud.

15 Opponitur lex 3. §. Divus, ff. de sep. viol.

Tandem superiori assertioni obstat text. *in l.* 3. §. *Divus Adrianus*, *ff. de sepulchro violato*, ubi Ulpianus docet, consuetudinem municipalem non posse tollere rescriptum Principis: ergo quia consuetudine lex positiva tolli non potest. Cui difficultati, ut satisfaciant Bartolus *in d. l. de quibus*, *n.* 53. *apposit.* 7. Jason *ibi*, Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 4. asserunt rescriptum Principis ibidem emanasse post consuetudinem; quare mirum non esse, quod lex posterior consuetudini anteriori non derogetur: quæ interpretatio ultra quam litteræ repugnat, resellitur *ex c.* 1. *de constit. l.* 6. Quare ea omissa verius dicendum est, in eo §. non agi de consuetudine generali, sed de constitutione municipali alicujus populi, quæ prohibitio generalis non tepefiendi mortuum intra urbem, confirmata pœnali rescripto D. Adriani, abrogari non poterat, cum prohibitio esset generatoris, & constitutio municipalis injusta, quæ juri communi non derogat.

TITULUS V.

De postulatione Prælatorum.

CAPUT PRIMUM.

Innocentius III. *Decano, & Capitulo Senonensi.*

AD hæc in B. Petro. *Et infra*: Sane cum Ecclesia Senonensis semper fuerit Ecclesiæ Romanæ devota, non immerito ipsius Ecclesiæ passioni compatimur, & doloribus condolemus, cum ea sit viduata Pastore, qui etsi nobilis esset genere, *b* nobilior tamen fuit, sicut credimus, sanctitate. *Et infra*: Dolemus insuper, quod dolori nimio, quem de tanti Patris obitu conceperat Ecclesia Senonensis, dolor alius supervenit, cum ea vix surgente ab officio *c* funeris tam funesti, vix digne celebratis exequiis tanti Patris, Rex ipse injuste commotus, possessiones ipsius, tam ad mensam Archiepiscopi, quam Canonicorum pertinentes, non ut debuit, vel ut decuit, sed ut voluit, & valuit, occupavit, & personas etiam, quæ de mandato nostro suspenderant organa sua, compulit exulare. *Et infra*: Cumque propter persequutionem instantem, & diffidentiam animorum, quam in talibus & zelus movet interdum, & usus excusat, de facili non possetis in *d* unum locum, & propositum convenire, sed ad nos fuisset ab aliquibus *e* appellatum: tandem non sine difficultate convenientes in unum, Altissiodorensem *f* Episcopum in Archiepiscopum unanimiter postulastis, postulationem vestram per Magistrum R. Præcentorem vestrum, virum in utroque jure peritum, honestum, providum, & discretum, qui apud nos super assumpti promotione negotii fideliter institit, & de contingentibus nihil omisit; & per Abbatem *g* S. Petri, & per vestras etiam litteras exponentes, ac petentes humiliter, ut faciendæ translationi favorem Apostolicum, & pium præberemus assensum, considerata præsertim persequutione, quæ communiter instat Ecclesiæ Gallicanæ, ac necessitate, quæ incumbit specialiter *h* Ecclesiæ Senonensi. Verum quoniam antequam idem Magister ad Sedem Apostolicam accessisset, audieramus a multis, immo etiam nobis quasi pro certo *i* constabat, quoniam idem Episcopus interdicti sententiam non servasset, quod & idem Magister non negavit, a nobis in nostra, & fratrum nostrorum præsentia requisitus in ipsius Episcopi excusationem allegans, quod sententiam illam servare nullatenus tenebatur, quæ ad ejus notitiam, nec per nostras litteras, nec per dilectum filium *j* P. S. M. in via Lata Diaconum Cardinalem, tunc Apostolicæ Sedis Legatum, qui eamdem sententiam promulgaverat; nec per deputati ad hoc exequutoris mandatum, vel litteras pervenisset: & quod in Altissiodorensi *k* Diœcesi Rex ipsam terram propriam non haberet: & quod eadem Altissiodorensis Diœcesis ex alia caussa fuerat *l* interdicta. *Et infra*: Nec suffecit, immo nec profuit ad excusationem prædicti Altissiodorensis Episcopi, & aliorum similium, quod mandatum nostrum, & Cardinalis ejusdem, vel exequutoris, etiam ad se per speciales litteras ad ipsos directas, vel speciale mandatum non pervenisse proponunt. Cum Cardinalis idem sententiam interdicti præsentibus multis Archiepiscopis, & *m* Episcopis sollemniter, ac publice promulgavit, & eadem interdicti sententia in Regno Francorum jam a multis cepit observari, nec sit necessarium, cum constitutio sollemniter editur, *n* aut promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare; sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, quod noverit eam sollemniter editam, aut publice promulgatam; cum etiam contra quosdam qui *o* Sardicense Concilium non servabant, tamquam illud non habuerint, aut receperint, canonica tradat auctoritas, quod eis non facile facultas credendi tribuitur, cum idem penes illos in suis regionibus actum fuerit, & receptum. Nec valet, quod in Altissiodorensi Diœcesi dictus Rex propriam terram dicitur non habere; cum nos totam terram Regis ipsius subjici mandaverimus interdicto, & Cardinalis nostrum *p* mandatum interpretatus, in terram illam sententiam promulgaverit, quæ Regi *q* tunc temporis adhærebat. Quod si Episcopatus ejus ex alia caussa fuerat interdictus, interdicti sententiam & tenebatur fortius, & poterat facilius observare: sed inde liquido constat, sæpedictum Episcopum sufficienter excusari non posse, quod suam *r* Metropolim Ecclesiam generaliter interdicti sententiam & recepisse non noverat, & servare: Ideoque unus eorum extiterat, qui deliberantes super eadem sententia, communi consilio

decreverunt, sed erraverunt, ut ipsam sententiam non servarent. Cum si verbum Apostoli P. de Clemente dicentis diligentius attendissent, commotionem super hoc non debuerint expectare, sed obsecundare prudenter, & humiliter obedire. Nos igitur, qui secundum Apostolum prompti sumus inobedientiam omnem ulcisci, ejusdem Altissiodorensis inobedientiam attendentes, ne nihil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset; cum juxta canonicas sanctiones quædam sint culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam: habito cum fratribus super hoc diligenti tractatu, quantumcumque vobis, tamquam obedientiæ filiis deferre vellemus; postulationem tamen hujusmodi, non propter postulantem Ecclesiam, sed propter postulatam, personam repulimus, ut indignam. Licet autem ex eo, quod hominem, qui vestro non conveniebat proposito, postulastis; cum vos interdicti sententiam servaretis, ipse tamen eam contemneret observare, permissa vobis abusi fueritis potestate, ac ideo vos ea non immerito privare possemus, cum juxta divinæ legis edictum non liceat vestem inducere de lana, linoque contextam; ne tamen vestræ videamur devotionis ingrati, de solita Apostolicæ Sedis benignitate concedimus, ut vobis, & eidem Ecclesiæ, vel per postulationem idoneam, vel per electionem canonicam de persona congrua consulatis.

NOTÆ.

1 a *Innocentius.*) Ita etiam legitur *in c. 1. hoc tit. in 3. collectione*. De Senonensi Metropoli Galliæ nonnulla adduxi *in c. cum omnes 6. de const.* ut autem præsens textus recte perpendantur, ejus historia repetenda est ex Rigordo *in vita Philippi. ann.* 1199. Spondano *in continuat. Baron. ann.* 1198. *num. 8.* & ex gestis ipsius Innocentii editis a Bosqueto, ubi *fol.* 32. ita sententiæ interdicti, de qua in præsenti, & *in cap. novit, de offic. Legat. cap. novit, de appell.* ac præsentis textus, & sequentis historia refertur, quam etsi diffusam, transcribere necessarium duxi pro dictorum jurium illustratione.) Præfatum vero Petrum Diaconum Cardinalem, quem ipse postmodum in Presbyterum ad titulum S. Marcelli promovit, direxit in Gallias, tria sibi præcipiens, & injungens. Videlicet, exhortaretur, & induceret populos ad Terræ sanctæ succursum: ut pacem, vel treguas inter Francorum, & Anglicorum Reges componeret, & firmaret: & ut ipsum Regem Francorum ad dimittendam superinductam, & recipiendam uxorem propriam, quam injuste dimiserat, commoneret, & cogeret, si necessitas postularet. Iple vero profectus, circa primum capitulum usque adeo divina gratia favente profecit, quod innumera tàm militum, quam peditum multitudo ad verbum exhortationis ipsius signum Crucis suscepit ad obsequium Crucifixi. Cum quibus, & quidam Episcopi, & Abbates, ac alii multi Clerici peregrinationis propositum assumpserunt, inter quos principales fuerunt Theobaldus Comes Trecensis, Ludovicus Comes Blesensis, Balduinus Comes Flandriæ, ac Hannoniæ, & Comes de S. Paulo, Suessionensis, & Trecensis Episcopi, & quidam Ordinis Cistercienses Abbates. Circa secundum quoque capitulum idem Legatus ita processit, quod Philippus Franciæ in manu ejus data fide promisit se ad mandatum ipsius pacem, vel treguas cum Rege Angliæ initurum. Richardus autem Rex Angliæ se difficilem ostendebat: cum quem idem Legatus ei cœpit rigorem Ecclesiasticum intentare, saniori ductus consilio acquievit, & quinquennales treguas composuit inter Reges, faciens quædam castella, quæ firmaverat contra alium, demoliri. Circa tertium vero capitulum, ad pleniorem intelligentiam est notandum, quod defuncta primæ uxore mandato prædati Philippi Regis Francorum, filia Balduini Comitis Hannoniæ, nepte videlicet Philippi Comitis Flandriæ, de qua susceperat unum filium nomine Ludovicum, tractatum est inter ipsum, & Canutum Regem Danorum, ut Ingeburgim sororem ipsius Rex Franciæ duceret in uxorem: missoque Stephano Noviomensi Episcopo cum regio apparatu, ut eam adduceret, ille Rex eam cum multo desiderio expetebat. Cum de ipsa suscipienda in conjugem, & tenenda præstitæ fuissent sufficientes, & idoneæ cautiones, frater ejus transmisit cum ea Petrum Bucchideum Episcopum cum idoneo comitatu: quæ cum transvecta per mare pervenisset Ambianis, ubi Rex Franciæ ipsius præstolabatur adventum, dilationis impatiens, ipso die desponsavit eamdem, & congregatis Principibus, tam Ecclesiasticis, quam mundanis, sequenti die per manum Guillelmi Rhemensis Archiepiscopi fecit eam secum sollemniter coronari. Sed inter ipsa coronationis sollemnia, suggerente diabolo, ad aspectum illius cepit vehementer horrescere, tremere, ac pallere, ut minium perturbatus vix sustinere posset finem sollemnitatis inceptæ. Statimque motum est verbum divortii celebrandi, propter affinitatis obstaculum, quod inter eos quidam existere mussitabant dicentes, quod secunda contingat primam uxorem in gradu consanguinitatis quarto, vel quinto: sed aliis asserentibus, quod id sine turpi nota subito fieri non valeret, aliquantulum est dilatum; & interim suggestum est Regi, ut ad illam accederet, si forsan affectu mutato illam cognoscere posset. Accessit igitur Rex ad illam apud Fossatum prope Parisios, quo fecerat illam adduci, & thorum ejus ingressus est. Post paullulum ab illa recessit, in tantum habens ipsam exosam, ut vix sustineret coram se de illa fieri mentionem. Asserebat autem Regina, quod Rex carnaliter illam cognoverat, Rex vero e contra asserebat, quod ei non potuerat carnaliter commisceri. Convocatis igitur præfato Rhemensi Archiepiscopo in sua Provincia tunc Apostolicæ Sedis Legato, & aliis quibusdam Episcopis, coram eis accusatum est matrimonium, ipsa Regina quid ageretur penitus ignorante, utpote quæ compatriotis remissis ad propria, quasi sola remanserat, linguæ Francorum prorsus ignara: & affinitate per quosdam testes incontinenti jurata, mox idem Archiepiscopus sententiam divortii promulgavit, quæ cum Reginæ per quemdam exponeretur interpretem, illa ultra quam dici posset admirans, flens, & ejulans, exclamavit: Mala Francia, Mala Francia: & adjecit, Roma, Roma. Non enim aliter noverat Gallicis verbis talem exprobare sententiam, aut Sedem Apostolicam appellare. Protinus ergo Rex illam a Regno Francorum emisit, & in quodam cenobio monialium extra Regni fines utcumque deponi. Turbati sunt multi, quin & omnes, qui Deum timebant, & justitiam diligebant, super sententiam tamquam iniquam. Perveniteque fama, vel magis infamia hujus facti ad Cœlestinum tunc temporis Papam, qui cum per Magistrum Meliorem, tituli Sanctorum Joannis, & Pauli Presbyterum Cardinalem de Francia redeuntem, veritatem plenius, & certius cognovisset, quia factum erat notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari, sententiam illam divortii contra ignaram, & indefensam inordinate, ac impetuose prolatam, auctoritate Apostolica irritavit. Interdicens Regi per nuntios, & apices suos, ne aliam sibi præsumeret copulare. Verum quanto idem Papa ferventior circa hoc apparuit in principio, tanto tepidior est inventus in fine, quia licet Rex Danorum, germanus prædatæ Reginæ, per honorabiles nuntios imploraret, ut compelleret Regem Francorum ad recipiendum eamdem Reginam sororem suam, quam injuste dimiserat, sicut juris ratio postulabat, nunquam tamen apud eum hoc potuit obtinere; quin etiam toleravit, ut idem Rex post interdictum ipsius, filiam Ducis Meraniæ, puellam utique pulchram nimis, non fine multo scandalo superduceret, & teneret. Præfatus autem Innocentius Cœlestino succedens, statim per litteras suas, & per Parisiensem Episcopum, sæpedictum Regem studuit commonere, ut eam removeret a se, quam contra interdictum Ecclesiæ superduxerat; & reciperet illam in gratiam conjugalem, quam legitime ductam, illegitime duxerat amovendam, juris ei licentia non negata, quominus facta restitutione postmodum audiretur, si quid duceret proponendum. Contestans eidem, quod quantumcumque sibi molestum existeret cum aliquo molestare; tamen oportebat eum plus cælesti, quam terreno deferre Regi, etiam fine personarum acceptione, sicut ratio postularet. Quia vero idem Rex sæpe commonitus noluit acquiescere, sæpedicto Legato per Apostolica scripta præcepit, quatenus subato appellationis obstaculo, totam terram ipsius Ecclesiastico subjiceret interdicto, ut nullum in ea, præter Baptismum parvulorum, & pœnitentiam morientium, divinum celebraretur officium, si forsan ei vexatio tribueret intellectum. Congregato igitur apud Divionem Archiepiscoporum, necnon Abbatum, & aliorum multorum Concilio, Rex præsentiens, quod idem Legatus vellet procedere contra ipsum, per nuntios suos fecit ad Sedem Apostolicam appellari; Legatus vero non, ut appellationi deferret, sed ut differret ad tempus, quatenus alibi mandatum Apostolicum commodius adimpleret, tandem apud Viennam multis Archiepiscopis convocatis, inter quos quidam de Regno Franciæ fuerunt præsentes, interdicti sententiam promulgavit, mandans per litteras suas, quibus etiam tenorem Apostolicarum inferuit litterarum, universis Ecclesiarum Prælatis in terra Regis Franciæ constitutis, ut eam, & ipsi servarent, & facerent per suas litteras observari. Quod si forsan Episcoporum aliqui contra eam venire præsumerent, scirent se ab officio Pontificali suspensos. Ceteris vero cujuscumque dignitatis, vel ordinis officiorum, & beneficiorum administrationem penitus interdixit. Omnes autem ad festum Ascensionis Domini proxime tunc futuram de inobedientia responsuros, ad Sedem appellavit. Receptis igitur litteris, quidam in auditu auris obedire cœperunt: sicut Canonici Senonenses, Parisienses, Episcopus Silvanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Atrebatensis, & quidam alii, sententiam interdicti firmiter observantes. Alii vero distulerunt observare sententiam; sicut Rhemensis Archiepiscopus, Laudunensis, Noviomensis, Antissiodorensis, Beluacensis, Morinensis, Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis, & alii forte perpauci, nuntios suos ad Sedem Apostolicam destinantes, per quos quasdam excusationes, licet frivolas, prætendebant; sed promittebant, quod illis expositis, si demum placeret Summo Pontifici, sententiam observarent. Cum igitur S. Pontifex excusationes illas evidentissimis rationibus improbaret, præcepit eisdem, ut ipsi pariter observarent sententiam interdicti, qui audito præcepto, humiliter paruerunt: sicque tota terra Regis Francorum arctissimo est interdicto conclusa; ita ut clausis Ecclesiis, nusquam in cœmeteriis sepelirentur corpora mortuorum, quin etiam super terram servabantur ubilibet insepulta. Rex autem in tantam indignationem excanduit, ut Episcopos, & alios Clericos, qui primo servaverunt interdictum, ab Ecclesiis suis faceret violenter expelli, & bona omnia occupari. Sed cum plebs universa clamaret, Rex jamque non valens Ecclesiasticæ severitatis sustinere vigorem,

tem, nuntios suos, quosdam inde Clericos, & quosdam Milites ad summum Pontificem destinavit, conquerens de Legato multipliciter, sed tamen offerens per eosdem Altissiodorensis inobedientiam cautionem, quod coram Legatis, vel Delegatis judicibus staret juri. Quibus ipse prudentissimus Papa respondit, quod distinguendum erat, utrum stare vellet juri dictato, vel juri dictando: si juri dictato, videlicet secundum jus, quod dictaverat, ut superinductam a suo removeret consortio, & Reginam antedictam reciperet, libenter cautionem, imo sine cautione qualibet si hoc faceret, relaxaret sententiam interdicti, dummodo prius Episcopi, & clerici destituti plenam fuissent restitutionem adepti. Si vero juri dictando, videlicet secundum jus quod dictaret, ut affinitatis decideretur articulus, cautionem oblatam reciperet ad cautelam, dummodo, superinducta remota, Reginam reciperet memoratam. Hoc autem cum Rex per nuntios suos a Sede Apostolica revertentes audisset, spiritus ejus cœpit multipliciter anxiari; quia nec illam volebat recipere, quam habebat vehementer exosam; nec istam dimittere, quam habebat nimis acceptam. Verum convocatis quibusdam Principibus, tam Ecclesiasticis, quam mundanis, cœpit deliberare cum illis, quid ei foret in hoc articulo faciendum; quibus unanimiter respondentibus, quod erat parendum Apostolicæ Sedis mandatis, quæsivit a Rhemensi Archiepiscopo, qui sententiam divortii promulgaverat, utrum verum esset, quod Dominus Papa scripserat, videlicet, quod illa non erat divortii dicenda sententia, sed ludibrii fabula nominanda. Quia cum respondisset, verum esse, quod scripserat Summus Pontifex; non enim audebat aliud respondere; statim Rex intulit: dicens: Ergo tu es stultus, & fatuus, qui talem sententiam protulisti. Remissis igitur nuntiis instabat, ut prius, quod videlicet relaxato interdicto, cognosceretur de jure: sed cum nec minis, nec precibus, nec promissis animus Summi Pontificis flecti posset in fundamento justitiæ solidatus, ipsius arbitrio se submisit: qui Octavianum Ostiensem Episcopum Legatum destinavit, talem ei formam præfigens, ut ante omnia satisfactionem plenariam de damnis, & injuriis Clericis irrogatis faceret exhiberi. Ita quod ii, qui propter obedientiam, & reverentiam Apostolicæ Sedis graves perpessi fuerant contumelias, & jacturas, per Apostolicam Sedem sibi sentirent, & gauderent congrue satisfactum. Deinde superinductam præciperet a Regis consortio, tam localiter, quam carnaliter removeri; ut non solum a Regis amplexibus, verum etiam a Regni finibus faceret illam excludi, & præfatam Regi nam ab ipso Rege solemniter recipi, & regaliter pertractari, recepta publice juratoria cautione, quod eam fine judicio Ecclesiæ non dimitteret, & sic relaxaret sententiam interdicti, reservata sibi correctione illorum, qui ab initio non servaverunt interdictum. Et si post frequentes, & diligentes admonitiones, & exhortationes idem Rex præfatam Reginam sicut legitimam habere nollet uxorem, sed mallet matrimonium accusare, præcepit eidem Legato, ut pro termino peremptorio ad inchoandam caussam spatium sex mensium assignaret, infra quod, si præfata vellet, commoneretur Rex Danorum germanus ipsius, ut ad defensionem ejusdem viros prudentes cum Advocatis, & testibus aliis quibuslibet necessariis, sub Apostolica, & regia securitate dirigeret, competenti loco de libera voluntate partium assignato, Associavit Ostiensi Episcopo ad examinationem, & defensionem caussæ ejusdem, Joannem tituli sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem, injungens eisdem, ut assidentibus sibi viris religiosis, litteratis, & providis, caussam ipsam sufficienter, diligenter, ac patienter examinare curarent, taliter in verbis, & operibus, & aliis circumstantiis se habentes, ut nulla de ipsis posset suspicio suboriri, sed juris ordine per omnia observato, securitatem, & libertatem parti sæpedictæ Reginæ per omnia providentes, caussam ipsam mediante justitia terminarent. Profectus est Episcopus secundum hanc formam ad Regem Francorum: & tam ab ipso, quam ab ejus Magnatibus honorifice, & devote receptus, fecit in primis Ecclesiis, & Ecclesiasticis viris de damnis, & injuriis satisfieri congruenter; ac deinde Reginam de loco, in quo fuerat, ad quoddam regale castrum adduci fecit, ubi præsentibus tam Archiepiscopis, & Episcopis, quam Magnatibus; & tam Cleri, quam multitudine populi copiola, Rex ad mandatum Legati Reginam recepit, faciens in animam suam juramento firmari, quod honorifice ipsam ut Reginam tractaret, & absque judicio Ecclesiæ non dimitteret, & sic ipse Legati sententiam interdicti, quæ per octo menses duraverat, relaxavit cum multo gaudio, & applausu. Etsi nonnulli sibi detraxerint, quod Apostolici mandati forma neglecta, in quibusdam superficialiter processisset. Superinductam autem Rex a suis separavit amplexibus, sed a regni finibus non exclusit, quia gravida erat, & partui jam vicina. Porro caussam ipsius Dominus judicavit, quia post partum graviter infirmata, debitum carnis exsolvit. Cum igitur idem Rex non posset induci, ut ipsam Reginam maritali vellet affectione tractare, assignati sunt certi dies, & certus locus ad caussam, in quo apud Suessionem, præsentibus partibus ambo interfuere Legati, coram quibus caussa cœpit suo more tractari. Et licet Rex plures, & majores Advocatos haberet, non tamen defuit, qui propter Deum verbum faceret intrepidus pro Regina: videns vero Rex, quod parum proficeret, cum diebus aliquot litigasset, indignatus recessit, nolens coram ipsis Legatis ulterius litigare. Summus autem Pontifex, etsi nunquam potuerat Regem inducere, ut ipsam Reginam diligeret, nunquam tamen cessabat, nec blandis, nec asperis agere apud ipsum, ut eam faceret regaliter honorari, consolatorias, & confortatorias ei litteras sæpe transmittens, & per proprios nuntios eam faciens visitari, de contingentibus nihil obmittens, etsi Regi plurimum displiceret. Nam eadem Regina conquerebatur se magis esse incarceratam, quam restitutam. Cum etsi Rex in victu, & vestitu competenter ei faceret provideri, adeo tamen arcte faciebat eam apud Stampas in regio palatio custodiri, quod nec ipsa permittebatur exire, nec quisquam, nisi raro, permittebatur intrare; sicque manebat omni solatio destituta. Interea vacante Metropoli Senonensi; Antissiodorensis ab universo Capitulo unanimiter est electus, Rege suum præbente consensum: missique sunt nuntii honorabiles, & solemnes ad obtinendam translationem, & pallium impetrandum. Porro Summus Pontifex prudenter attendens, quod idem Antissiodorensis Episcopus unus fuerat ex illis; qui ab initio interdicti sententiam non servarunt, & Senonensis Ecclesia eam observaverat ab initio, ut discerneret inter inobedientes, & indevotos, postulationem ipsius in publico consistorio reprobavit, cum secundum legem divinam non sit arandum in bove, & asino; nec quisquam debeat vestem induere de lana, linoque contextam. Unde quidam protinus clamavit; Nunquam Antissiodorensis Episcopus de bene cantando tantum acquiret, quantum de male cantando jam perdidit, Universis exultantibus, & laudantibus Deum, præfecit eidem Magistrum Petrum de Corbolio, cujus Parisiis in sacra Theologia fuerat auditor, quem jampridem in Cameracensem Episcopum fecerat promoveri. Ex Rigordo, & aliis referunt Altessera *hic*, Franc. Florens, & Acosta *ad hunc tit.*

b *Nobilis esset genere.*) Michael videlicet de Corbel, Patriarcha Jerosolymitanus, Theologus Parisiensis: apud Vicentium *l.* 30. *c.* 63. dicitur vir bonus; & Deo plenus: a nostro Innocentio *in c. inter, de purgat.* nuncupatur vir providus, & discretus, veri Pastoris adimplens officium; referunt fratres, Sarmat. *t.* 1. *Gallia Christ. fol.* 635. 2

c *Funeris.*) Antea enim non poterat eligi successor, *c. nullus, 79. dist. c.* 3. *in fine*, 8. *q.* 1. *c. bona, el* 2. *de elect.* Docent Petrus Gregorius *de elect. c.* 13. *n.* 5. Julius Lavorus *lucubr. eod. tr. c.* 18. *n.* 20. 3

d *Unum locum.*) Certum, nam electiones debent fieri loco certo, solito & consueto, *c. cum terra, de elect. c. qua fronte; de appel.* ut in Capitulo, Choro, vel simili, *c. cum nobis, de elect.* aut in Ecclesia, *c. sicut eod. tit.* Docet Jul. Lavorus *d. c.* 18. *nu.* 4. Nec interest; quod locus sit interdicto suppositus, *c. Ecclesia, c. Cumana, de elect.* Abbas *in præsenti, nu.* 33. licet in electione Romani Pontificis contrarium observetur, *c. ubi periculum, §. porro, de elect. l.* 6. Castellinus de *elect. c.* 5. *n.* 40. Lavorus *supr. n.* 9. 4

e *Appellatum.*) Sed quomodo si appellatum fuit ab electione; proceditur ad ipsam? contra textum *in c. adhibita, de elect.* Sed respondetur adhibita distinctione, aut enim appellatur, ne fiat electio, ut in nostro textu; & tunc non obstante appellatione proceditur ad electionem; aut ne fiat electio nisi canonice, & assignatur caussa cum juramento; tunc enim si fiat electio, non valet, *d. c. considerabimus, hoc tit. c. ult. de supplem. c. constitutus, de appel. c. ex ore, de his, quæ fiunt a majori parte.* Hostiensis *hic, n.* 1. 5

f *Episcopum.*) Hugonem videlicet de Noyers, qui electus fuit Episcopus Altissiodorensis anno 1183. genere, litteris, & facundia clarus dicitur in chronico Altissiodorensi. Varia de eo congesserunt Fratres Sarmat. *t.* 2. *Gallia Christ. fol.* 282. Chenu *in serie Præsulum Altissiod.* Civitas Altissiodorum, quæ olim Autricus dicebatur, est Galliæ, suffraganea Archiepiscopi Senonensis, ut referunt Fratres Sarmat. *ubi supra.* 6

g *S. Petri.*) Monasterium S. Petri Vivi, Ordinis est D. Benedicti, fundatum a Theodevile, anno 507. de eo plura Mireus *c.* 25. Yepes *centuria* 6. Ciron. *in c.* 2. *de simonia.* Hic etiam notandum est, Abbatem posse designari procuratorem ab Ecclesia Cathedrali; quod etiam probatur *ex c. sopite, de censibus*, notavit Abbas *in c. cum l. & A. de re judicata.* 7

h *Ecclesia.*) Ob duritiam Philippi Regis, & expulsionem Episcoporum. 8

i *Pro certo constabat.*) Sed si constabat, ut privato, non autem ex actis postulationis, Pontifex secundum propriam conscientiam sententiam ferre non poterat, cum judex teneatur secundum allegata, & probata, non vero secundum ea, quæ ut privatus scit, sententiam proferre, *c.* 2. *de officio Ordinarii, c. pastoralis, §. quia vero, de officio deleg. c. cum dilectus, de fid. instr. c.* 1. 3. *q.* 7. pluribus relatis docent Cov. *l.* 1. *var. c.* 1. Osuald. *l.* 26. *c.* 1. *littera K, & c.* 3. *littera B.* Sed licet hoc verum sit, tamen cum in præsenti textu Pontifex procederet ad inquisitionem, ut postulatum confirmaret, quia confirmationem præcedit inquisitio, inde Pontifex utitur illis, quæ ut privatus sciebat, *c.* 3. *& penult. hoc tit. c.* 3. *de electis c. scriptum, cap. mihi est*, 47. *dist.* 9

j *P.*) Petrum videlicet, ut supra retulimus. Titulus autem hujus Cardinalatus unus est ex quatuordecim titulis Diaconorum Cardinalium, ut post Germonium, & alios refert Cohelius *in notitia Cardin. c.* 6. 10

k *Diœcesi.*) Diœcesis enim Altissiodorensis spectat ad Comitatum Altissiodorensem, ut refertur *t.* 1. *Biblioth. novis.* unde putabat Episcopus, neque quoad jurisdictionem, neque quoad dominium spectare ad Philippum Regem: sed cum quoad jurisdictionem spectasset ad Regem, poterat interdicto supponi; sufficit enim, ut alicujus terra interdicatur, quod 11

spectet ad aliquem ratione jurisdictionis, aut dominii, licet contrarium defendat Gibalinus *de censuris fol.* 135.

l *Interdicta.*) Videlicet propter excessus Comitis Altissiodorensis, Petri scilicet fratris, patruelis ipsius Regis, qui ab Hugone Episcopo Altissiodorensi ob varia facinora excommunicatus fuit, & civitas interdicto supposita, cujus celebrem pœnitentiam narrat Spondanus *anno* 1204. *n.* 20. Iterum ann. 1209. ipsa civitas simul cum Aurelianensi interdicto supposita est, ob certas discordias cum prædicto Philippo Rege, ut ex pluribus Innocentii nostri Epistolis referunt Bosquetus *ad Innocentium l.* 3. *ep.* 39. & 40. Spondanus *in prædicto anno, n.* 6.

m *Episcopis.*) Diximus supra promulgatam fuisse interdicti sententiam primo in Concilio Senonensi, apud Senones habito; & in Concilio a plurimis Archiepiscopis, & Episcopis apud Divionem congregato. Acta Concilii Senonensis reperiuntur in gestis Innocentii, & refert Spondanus *anno* 1198. *numer.* 21.

n *Aut.*) Particula, *aut*, in præsenti extat expositive, pro *seu*, vel pro *idem*; ut sensus sit, ad legis sententiam, & parendi necessitatem requiri, quod solemniter edatur, seu publice promulgetur, ut accipitur hæc dictio *in l. si servus*, juncta glossa 1. *ff. de reb. auctor. jud.* Barbosa *de dictionibus, dict.* 26. *n.* 8. Docet Germon. *l.* 1. *animad. c.* 3. probavi *in c.* 7. *de constitutionibus*.

o *Sardicense.*) Clerici enim Constantinopolitani intendebant se non teneri servare canones Concilii Sardicensis, eo quod Constantinopoli promulgatum non esset Concilium illud; sed condemnati fuerunt a Nicolao Papa *in c. finali*, 18. *dist.* De Concilio Sardicensi agemus infra *in c.* 2. *de elect.*

p *Mandatum.*) Et recte, nam civitates Antissiodorensis, & Aurelianensis Regi parebant, illique ad bellum proficiscenti suppetias, & auxilium præstabant, ut patet ex pluribus Innocentii III. Epistolis.

q *Tunc.*) Si postea acquifisset ipsam, non censeretur interdicta, ut docet Gibalinus *ubi supra, de censuris fol.* 134. *concl.* 4.

r *Metropolitanam.*) Idest Senonensem. Archiepiscopalis enim Ecclesiæ leges, & consuetudines observari debent a suffraganeis, *c. de his*, 11. *dist. c. tua, de sponsa duorum*, probavi *in c. cum olim, de consuetudine*.

COMMENTARIUM.

19 Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc textu a repetentibus hæc deducitur assertio: *Impostulabilis est ad dignitatem Ecclesiasticam, qui violavit interdictum*. Quæ conclusio singularis est in jure canonico: per argumentum tamen probari potest *ex c.* 11. *dist.* 61. *c. miramur* 24. *q.* 1. *c. finali* 9. *q.* 3. *c. cum in monasterium, c. innotuit* 20. §. *habito, c. bona* 23. *c. cum inter* 28. *c.* 30. 45. & 48. *de elect. c. ult. de translat. Episc. c. postulasti*, §. *quæsivisti, de clerico excom. c. a nobis, de jurepatr. c. constitutus, de appell. c. cum dilectus, de concess. prab. c.* 11. *qui de sent. excom. l.* 5. *c. cum in eo, de elect. eod. l.* Illustrant Jul. Lavorus *de elect. c.* 6. *n.* 6. Rebuffus *in d. c. postulasti, n.* 95. Suarez *de censuris disp.* 33. *sect.* 1. *n.* 14. & 16. Avila *eod. tr. dub.* 4. *concl.* 3. Marius Alterius *de interdicto, c.* 4. Hurtado, Filliucius, & alii apud Leandrum *de censuris tr.* 5. *q.* 16. Azor *t.* 2. *l.* 6. *c.* 17. Corasius *de benef.* 3. *part. c.* 2. Joannes Dartis *eod. tr. sect.* 5. *c.* 2. *fol.* 63. Valensis *eod. tr. l.* 1. *tit.* 3. Duarenus *l.* 5. *de sacris Eccles. minist. c.* 2. Corvinus Legaufre, & Cironius *in paratit. ad hunc tit.* F. Florens, Joan. Acosta, & Altesserra *hic*.

20 Traditur dubitandi ratio.

Verum hæc assertio dubia redditur ea juris consideratione: nam illud discrimen communiter affignatur inter electionem, & postulationem, quod postulatio fieri possit illius, qui jure eligi non potest; electio vero neutiquam, *c. bona* 4. *c. ult. hoc tit. c. cum monasterium* 13. *c. innotuit* 40. *de elect.* ergo licet, qui violavit interdictum, non possit eligi, ex juribus pro illustratione conclusionis adductis, potest tamen postulari. Accedit, nam si ille, qui violavit interdictum, tamquam indignus, seu incapax dignitatis Ecclesiasticæ, non posset postulari, sequeretur postulantem ipsum in Episcopum privari facultate alium postulandi: sicut qui elegit incapacem, privatur potestate eligendi, ex Concilio Lateranensi relato *in c. cum in cunctis, c. bona, de elect.* sed postulantes violantem interdictum, non privantur facultate postulandi alium, ut constat ex ultimis verbis hujus textus, & capite sequenti, ubi refertur, in hoc casu Capitulum Senonense cum effectu postulasse in Archiepiscopum Petrum Episcopum Cameracensem; igitur qusa violans interdictum non redditur inde impostulabilis ad dignitatem Ecclesiasticam. Augetur tandem hæc difficultas ex eo, nam Episcopus Antissiodorensis non violavit interdictum a Legato in Gallia appositum, eo quod ignoravit appositum fuisse; quia factum præsumitur ignorari, nisi contrarium probetur, *l. verus, ff. de prob. c. ex tenore, de testibus, c. cum in tua, qui maxim. accusare*: sed in præsenti casu probatum non fuit Episcopum sciviffe in regno Galliæ interdictum appositum fuisse: ergo licet in sua Ecclesia divina officia celebrasset, non ideo interdictum violavit, & per consequens postulari poterat.

21 Postulationis etymon & definitio.

Qua dubitandi ratione sic fulcita minime obstante, vera est prælens assertio, pro cujus expositione sciendum est, postulare nihil aliud esse, quam poscere, seu petere: unde postulationes fieri dicuntur apud profanos Auctores Diis, atque hominibus. De postulationibus Diis factis plura tradunt Cælius Rhodigin. *l.* 10. *lect. antiq. c.* 19. Turnebus *l.* 9. *adverf. c.* 20. Atque in hac significatione postulandi verbum accipitur in utroque jure, in rubrica *de postulando*. In præsenti tamen titulo agitur de quadam postulatione, quæ idem fere significat in sacris canonibus ac electio; unde sæpius in eis confunditur; *c. litteras, c. Valentinianus*, 63. *dist.* & electus dicitur postulatus, & e contra, *c. statuimus*, §. *his, ossius, d.* 61. *c.* 1. & 2. *hoc tit.* Sed proprie postulatio accipitur pro precibus eligentium cum, quem vel alius nexus, vel clericalis vitæ dispar conditio ab electione removebant. Quæ postulatio non temere, nec nisi urgente necessitate audiebatur, ut si præsul Ecclesiæ ab alia Ecclesia postularetur, in Concilio, pensata Ecclesiæ utilitate, postulatio vel admittebatur, vel rejiciebatur, Concilium Carth. apud Gratianum *in c. placuit* 21. 7. *q.* 1. notavit Bosquetus *ad Innocentium III. l.* 1. *regest.* 3. *ep.* 13. Omissis autem pluribus postulationis definitionibus traditis a Gofredo, Canisio, Vasconcellos, Corvino, Legaufre, & Honorio *in parat. ad hunc titulum*, placet communis definitio, ut postulatio *sit ejus, qui ejus, qui eligi non potest, concors Capituli facta superiori petitio*; quæ deducitur *ex c. innotuit* 20. *c. bona*, 23. *de elect. c. bona, hoc tit.* Explicant Petr. Greg. *de elect. c.* 3. *n.* 11. Julius Lavorus *eod. tr. c.* 13. *n.* 29. Cironius *ad hunc titulum*. Postulatio hoc modo sumpta duplex est, alia solemnis, alia simplex. Solemnis est quæ per scrutinium fit, servata forma constitutionis Innocentii, de qua *in c. quia propter, de elect.* per eam postulatur is, in quem major & sanior pars Capituli consentit, quam si admittat superior, habet vim electionis, *c. scriptum de elect.* Simplex dicitur, cum ab aliquo superiore, ad quem spectat munus confirmationis, petitur, ut super aliquo defectu dispenset, & in hac non servatur aliqua forma, nec etsi superior dispenset habet vim electionis, sed tantum postulatus redditur habilis ad electionem. Petr. Greg. & Julius Lavorus *ubi sup.* A quibus vero, & de quibus postulatio fieri possit, dicimus commentario sequenti.

22 Quomodo differat postulatio ab electione.

Dixi postulationem ab electione in pluribus distare; in aliis vero cum ea convenire. Differt primo, quia electio nititur jure communi, postulatio vero tantum gratia, *c. postulationem* 5. *hoc tit.* ita ut si ob impedimentum, vel defectum electio, quæ stricti juris est, fieri non possit, recurratur ad postulationis remedium. Uno verbo me expediam, eligitur dignus, & habilis, qui nullum impedimentum patitur: postulatur vero, qui est dignus, sed inhabilis, licet non omnino. Secundo differunt, quia per electionem acquiritur jus Prælaturæ, & vinculum matrimonii spiritualis initiatur; per postulationem vero tantum eligentium vota superiori offerunt, & diriguntur, atque ideo nullum jus postulato quæritur, antequam postulatio admissa fuerit, *c.* 3. *cum seq.* §. *obstabit, hoc tit.* Antonius Chucus *l.* 4. *instit. tit.* 2. *n.* 28. Garzia *de beneficiis* 4. *part. c.* 3. *n.* 7. Tertio differunt electio, & postulatio in eo, quod electione facta, & publicato scrutinio, non licet ab ea resilire, imo necessario collatio facienda est, *c. publicato* 58. *de elect.* In postulatione vero secus procedit, quia licet recedere ab ea, quousque superiori præsentetur, ut nullum jus postulato acquisitum sit. Docent repetentes *in dicto c. publicato*. Tandem differunt, quia in electione, si plures sint electi, is potior habetur, qui a majori parte, & sanior Capituli eligitur, nisi aliud impediat, *c. duduum, de elect. c. quia propter, eodem*: in postulatione vero si postulatus concurrat cum electo; non obtinet, nisi habeat duas ex tribus partibus Capituli, *c. scriptum, de elect.* Corvinus *ad hunc tit. nu.* 4. Convenit postulatio cum electione in eo, quod forma electionis præscripta *in d. c. quia propter*, servatur in postulatione. Deinde, quia sicut non valet electio illius, qui delictum commisit, aliove corporis, aut animi vitio indignus judicatur; ita nec postulatio, *c. scriptum* 40. cum aliis, *de elect.* unde postulari non possunt, sicut nec eligi, homicidæ, perjuri, notorii excommunicati, & alii irregulares. Rebuffus *in d. c. postulasti, n.* 95. Julius Lavorus *de elect. c.* 15. *n.* 3. Valensis, & Joannes Dartis *ubi supra*.

23 Traditur decidendi ratio.

Ex quibus profluit vera decidendi ratio præsentis textus; nam cum violans interdictum ecclesiasticum, etiamsi sit Episcopus, claves Ecclesiæ contemnat, & Ecclesiasticæ disciplinæ nervum disrumpat, *c. finali de excessib. Prel.* atque ideo, ut irregularis ad dignitates Ecclesiasticas elegi non valeat, *d. c. cum inter, de elect.* Suarez, & Leander *ubi supra*, & postulatio conveniat, adeo cum electione, ut qui eligi non potest ob delictum, nec postulari valeat, ex supra traditis; ideo in præsenti deciditur ab Innocentio III. violantem interdicti censuram esse impostulabilem ad dignitatem Ecclesiasticam, cum ad eam eligi non possit, etiamsi sit Episcopus, qui non servavit interdictum; cum non minus Episcopi, quam alii teneantur censuras Ecclesiasticas servare, *d. c. sin. de excessib. Prælat.*

24 Dissolvitur difficultas.

Nec obstat ratio dubitandi supra adducta, verum enim est, postulari posse illum, qui eligi non valet; immo si eligibilis postularetur, postulatio non valet, *c. unico, hoc tit. l.* 6. Abbas, & Cardinalis *in c. finali, hoc tit.* non tamen omnis, qui eligi non potest, postulari valet; nam qui ob delictum est ineligibilis, similiter impostulabilis est; ille tamen, qui ob defectum natalium ætatis, aut ordinis, sive quia alteri Ecclesiæ adscriptus est, inhabilis est, postulari potest, licet eligi non valeat, ut dicemus *in c. finali, hoc tit.* Unde cum in nostro textu impedimentum oriretur ex delicto, non vero ex defectu; inde sicut electio non potest admitti, ita nec postulatio. Nec primum argumentum adversatur, nam licet certum similiter sit, postulantem indignum privari potestate postulandi, *c.* 2. ubi Abbas *hoc tit.* Azor 2. *p. Inst. l.* 5. *c.* 17. *q.* 9. tamen ex benignitate conservatur Canonicis Senonensibus facultas postulandi, ut constat ex illis verbis, *Solita tamen benignitate*; quam potestatem postea per abusum amiserunt. Nec ultimum argumentum obstat, cujus difficultatis occasione Bohicius, & anti-

antiquiores in præsenti illam prolixam satis exagitant quæstionem, quando quis præsumatur scire factum alienum, aut proprium: sed ea quæstione omissa, ex supra dictis respondendum est, Episcopum in præsenti ignorantiam allegare non posse, cum sententia interdicti publice in Concilio plurimorum Episcoporum esset promulgata, ut supra retulimus. Unde certum erat, ipsum agnovisse interdictum appositum esse, sed in gratiam ipsius Philippi Regis, ut alii fecerunt, illud non servasse; & sic juste tamquam contemptor Clavium Ecclesiæ punitur.

CAPUT II.

Idem a *Hostiensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato.*

GRatum gerimus, & acceptum, & Fraternitatem tuam plurimum commendamus, quod ad promotionem Venerabilis fratris nostri *b* P. quondam Cameracensis Episcopi, nunc autem Senonensis Archiepiscopi, prudenter, & efficaciter intendisti. Accepimus etiam ex litteris tuis, quod Canonici Senonenses, cum postulatio, quam fecerunt, nostra fuisset auctoritate cassata, licet cassationis litteras suppressissent in fraudem, ut concorditer, & canonice ad electionem procederent, mandavisti, addens etiam quod nisi forsitan in talem personam concorditer sua vota transferrent, pro qua merito tuum obtinere deberent assensum, de provisione ipsius Ecclesiæ postmodum faceres, quod crederes expedire. Cumque plures eorum postulationem cassatam a nobis innovare denuo niterentur; quidam vero prædictum Cameracensem in Archiepiscopum postularent, tu intelligens eos, qui cassationem nostram quodammodo revocare volebant, eligendi privilegium amisisse, quia concessa sibi ex Apostolicæ Sedis benignitate abuterentur temere potestate, ac ideo ad alios, licet pauciores numero, quantum tamen ad hoc pertinet, consilio saniores, eligendi, vel postulandi devolutam esse licentiam, prædictum Cameracensem ad eorum instantiam in Pastorem auctoritate Apostolica providisti, & deputasti ad regimen Ecclesiæ Senonensis. Nos igitur tanto id magis gratum, & ratum habentes, quanto, in ejus promotione de mandato nostro, & beneplacito potius processisti, a solicitudine Cameracensis Ecclesiæ ipsum redimus absolutum, ut liberius gerat curam Metropolis Senonensis: quod a te factum est, auctoritate Apostolica confirmante.

NOTÆ.

a *Hostiens.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 2. Hostia perantiqua urbs est Italiæ, a Roma quatuordecim milliaribus distans, quam Ancus Martius Romanorum Rex in ore Tyberis condidit, ut referunt Sextus Aurelius ibi: *Ancus Martius Rex Romanorum Hostiam celoniam maritimis commeatibus opportunam in ostia Tyberis deduxit*. Isidorus *l.* 15. *orig. cap.* 1. *Ancus Martius urbem in exitu Tyberis condidit, quæ & peregrinas merces reciperet, & hostem terreret*; quam ab ipso situ Hostiam appellavit Ovidius.

Hostia contigerat, qua se Tyberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

Habet Ecclesiam Cathedralem, cujus Antistites quodammodo natura Cardinales sunt, Purpuratorumque habentur Decani, ac omnes orbis Episcopos dignitate superant. Hujus Ecclesiæ Præsuli Hugolino, qui ex Diacono Card. tituli S. Eustachii ab Innocentio III. ad Episcopatum Hostiensem evectus fuit anno 1206. ipse Pontifex rescribit, qui post trepidas legationes, quas retuli *in c. cum venerabilis, de consuet.* ad Pontificatus fastigium pervenit anno 1227. Gregor. IX. felicissimo omine appellatus, ut plura de Ecclesia Hostiensi adducens refert Ughellius *t.* 1. *Italiæ, pag.* 83.

b P.) Petrus de Corbelio, de quo egi *in c. cum omnes* 6. *de constit.* & de Ecclesia Cameracensi aliqua notavi *in c. caussam* 17. *de rescriptis*.

CAPUT III.

Idem a *Clericis Ravennatensis Ecclesiæ.*

BOnæ memoriæ Archiepiscopo vestro viam universæ carnis ingresso, ejus nobis obitum per litteras vestras intimastis. Nos autem vobis dedimus in mandatis, ut personam idoneam, quæ in nostra devotione persisteret, vobis eligeretis canonice in Pastorem. Cumque vos postmodum receptis litteris, super electione substituendi *b* Pontificis tractaretis, vota vestra fuerunt in diversa divisa. Nam quidem vestrum dilectum fratrem nostrum *c* S. tit. Sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem; quidam vero venerabilem fratrem nostrum *d* Imolensem Episcopum postulaverunt. Cumque partes postulationes suas per suos nuntios præsentassent, proponebatur ab iis, qui Cardinalem postulaverant memoratum, quod plures quam duæ partes vestrum convenerant in eumdem. Verum pars altera proponebat, quod digniores personæ postularant Episcopum Imolensem, & quod in postulatione ipsius, & forma canonica, & tenor *e* compromissi fuerat observatus, cum tamquam suffraganeus Ravennatis Ecclesiæ postulatus de ipsius gremio extitisset. Fuerat enim compromissum, ut de corpore Ravennatis Ecclesiæ, vel Archiepiscopatus personam eligerent congruentem; quod pars altera frivolum asserebat, cum etsi talis conditio fuisset adjecta, poterat tamen de Romanæ Sedis collegio propter ipsius privilegium præfata postulari persona, cum membra capitis a membris corporis censeri non debeant aliena. Nos igitur auditis, quæ de facto fuerant hinc inde proposita, & de jure insuper allegata; deliberavimus cum fratribus nostris, & plenius etiam pro utralibet partium curavimus *f* allegare; Consideravimus vero, quod ejusdem Cardinalis persona utilior sit non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ *g* generali, tam apud Apostolicam Sedem, quam apud Ravennatem Ecclesiam; & quod majoris meriti sit in hujusmodi necessitatis articulo præire in Terræ Sanctæ *h* subsidium exercitui JESU CHRISTI, quam suscipere pondus officii Pastoralis. Unde non immerito præferentes speciali utilitati communem, & minori majorem, prædictum Cardinalem postulationi vestræ non duximus concedendum: attendentes autem ex altera parte, quod prædictus Episcopus Imolensis a minori, quam tertia parte fuerit postulatus, & quod Apostolica Sedes postulationes hujusmodi non consueverit in tanta *i* divisione, ac contradictione recipere, cum quando etiam aliquis ab aliis unanimiter postulatur, ad admittendam *k* postulationem eorum, non tam ex justitia, quam gratia moveatur, postulationem ipsius non duximus admittendam. Monemus igitur dilectionem vestram, & exhortamur attentius, & per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra mensem post susceptionem præsentium, cum iis qui vocem in electione habere noscuntur, per electionem, postulationem, seu nominationem canonicam, in personam idoneam, quæ in Ecclesiæ Romanæ devotione persistat, concorditer convenire curetis, & electionem, & postulationem vestram, seu nominationem per idoneos nuntios Sedi Apostolicæ præsentetis. Venient autem iidem nuntii parati, ut si forte (quod absit) factum vestrum fuerit exigente justitia reprobandum, illum recipiant, quem nos vobis providebimus in Pastorem. Alioquin cum eidem Ecclesiæ cupiamus sollicitius providere, nullatenus omittemus, quin ei auctoritate Apostolica Pastorem idoneum assignare curemus.

NOTÆ.

a *Clericis.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 3. sed quomodo, cum temporibus Innocentii III. electio Episcoporum ad proprium Capitulum, idest Canonicos, spectaret, *c. cum in Ecclesia*, ubi probat Balboa, *de caussa possess. & propr.* & nos *in c.* 2. *de elect.* rescribit Innocentius Clericis, innuens ab ipsis electionem Episcopi factam fuisse? Antiquiores repetentes in præsenti asserunt, Canonici rescriptum videri, quia Clericorum appellatione Canonici continentur, *c. cum in cunctis*, §. *Clerici de elect. c. cum Clerici, de verb. signif. c. per exceptionem, de priv. l.* 2. Sed licet hoc principium verum sit, tamen majus mysterium latet in hac inscriptione. Sciendum enim est, Canonicos Ecclesiæ Ravennatis inter alia plurima privilegia, quibus a Sede Apostolica sunt decorati, illud etiam habere, ut appellentur Clerici Cardinales, *c. illud*, 93. *dist.* Glossa *in c. pudor*, 32. *q.* 2. ficut quidam Canonici Compostellanæ Ecclesiæ dicuntur Cardinales Clerici; unde tamquam Cardinales mappulis uti volebant, ut constat *ex d. c. illud*: quare Innocentius eis rescribit sub appellatione Clericorum. De Ravennatensi Ecclesia egi *in c. si quando* 5. *de rescr.* & præsentem casum refert Rubeus *l.* 6. *hist. Raven.*

b *Pontificis.*) Pontifex proprie dicitur Summus Episcopus, idest Papa, ut probant hujus nomenclaturæ rationem reddentes Morinus *l.* 11. *exercit. c.* 1. Alciatus *l.* 2. *parerg. c.* 6. Theophilus Raynaudus *t.* 10. *in corona aurea Rom. Pont. verbo Pontifex Maximus*, & *Pontifex Summus*. Sed primis, imo, & sequentibus Ecclesiæ sæculis nomen hoc communicatum fuit Episcopis, qui Summi Pon-

Pontifices plerumque appellantur, *c. mirum*, 61. *dist. c. legum*, 2. *q.* 1. Conc. Agathense II. *can.* 35. Turinense *can.* 1. Leo I. *ep.* 84. probarunt Savarus *ad Sidon. l.* 4. *ep.* 11. Ambianas *ad Tertul. de pudicit. c.* 13. *observ.* 1. Rousselus *l.* 8. *hist. Pont. jurisd. c.* 2. *nu.* 8. Joan. Filesacus *in c.* 9. §. 5. *de off. ordin.* Mendoza *l.* 2. *Concilii Illiber. c.* 30. Basilius Legionensi *l.* 7. *de matr. c.* 10. & *q.* 3. *schol. c.* 9.

3 c *S.*) Sofredum, licet nonnulli Gofredum eum appellent. Titulus S. Praxedis est Presbyteri Cardinalis, ad Basilicam S. Laurentii extra muros cum aliis adscriptus, ut refert Cohelius *in notit. Card. c.* 6.

4 d *Imolensem.*) Maynardinum dictum, quem Rubeus Maldinum appellat, de quo Ughellius *t.* 2. *Italic*, *p.* 684. *n.* 23. De Ecclesia Imolensi aliqua adduxi *in c. dilectus* 26. *de rescriptis*.

5 e *Compromissis.*) De electione per compromissum, & ejus forma agemus *in c. caussam*, *de elect.*

6 f *Allegare.*) Judex enim potest supplere, quæ desunt Advocatis, & partibus in his, quæ spectant ad jus partium, *l. un. C. ut quæ desunt Advocatis*: notant communiter Interpretes.

7 g *Ecclesiæ generali.*) Cardinales enim in negotiis Ecclesiæ universalis terminandis assistunt Romano Pontifici; unde licet ratione Ordinis Episcopi illis majores sint, tamen ratione administrationis majores sunt Cardinales, *cap. quamquam*. 2. *q.* 6. ibi: *Quamquam secundum bonorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usu obtinuit, Episcopatus major Presbyterio sit, tamen Aug. in multis rebus Hieronymo minor est*. Plura Cohelius *in notitia*, *c.* 8.

8 h *Subsidium.*) Innocentius enim noster valde solicitus de subsidio Terræ Sanctæ, destinavit Sofredum Presbyterum Cardinalem tituli S. Praxedis, qui prædictam expeditionem in Terram Sanctam promoveret, & exercitum comitaretur, ut refert Spondanus *anno* 1199. *n.* 1.

9 i *Divisione.*) Similia refert Honorius III. *in c.* 2. *hoc tit. in* 5. ibi: *Duabus postulationibus, una videlicet de ven. f. n. Cenad. reliqua vero de vend. f. n. Nitrien. Episcopis in Strigon. Ecclesia celebratis, cum nullam eorum inveniremus esse canonicam, & in tanta contradictione non consueverit fieri postulatio, quæ si etiam concoditer fieret, plus gratia, quam jus, requirit admitti, neutram de f. n. confs. duximus admittendam*.

10 k *Postulationem.*) Superiori capite differentiam inter electionem, & postulationem tradidimus; nunc quid inter postulationem, & nominationem intersit, videamus? Et præcipua differentia in eo consistit, nam nominatio est, quæ fit duorum, pluriumve; electio vero, seu postulatio, unius, *c. congregatio*, 16. *q.* 7. unde in Episcopo Neapolitano nominando tres sibi nominari jubet Gregorius M. *l.* 2. *ep.* 16. Notant Cironius *in nostro tit.* Pet. Greg. *de elect. c.* 3. Julius Lavorus *de elect. c.* 13 *n.* 33. licet propter vocum promiscuam significationem nominatio accipiatur pro electione, *in cap. cum olim*, *de elect.* Deinde, nam cum unus postulatur, is solus dignior censetur; in nominatione, primo nominatus, *c. quorundam*, *de elect. in* 6. Deinceps, nam postulatio pendet ex mera gratia, & liberalitate; nominatio autem non ita; magis enim adstringitur superior eam prosequi. Unde Patronorum nominationes admittere tenentur Superiores, *c. pastoralis*, *de jurepatron.* si nominatus sit idoneus; ideo nominatores creatores dicuntur, *l. si quos* 59. *C. de decurionibus*, *l.* 10. Docet Cironius *ad nostrum tit.*

COMMENTARIUM.

11 Conclusio proponitur, & probatur.

EX hoc textu talis deducitur disputanda assertio: *Postulatio facta a minori, quam tertia parte, non debet admitti*. Probant textus *in cap.* 1. *c. bona*, *el.* 2. *hoc tit. c scriptum*, *de elect. c.* 2. *hoc tit. in* 5. *compil.* Illustrant Sylvester *in summa*, *v. Postulatio*, *q.* 2. Azor. 2. *p. moral. l.* 4. *c.* 17. *q.* 3. Castellinus *de elect. c.* 2. *n.* 8. Petr. Greg. *de elect. c.* 3. *& eod. tract. c.* 14. *n.* 6. Laym. *de Prel. elect. c.* 1. *q.* 1. Barbosa *t.* 1. *voto* 33. Dartis *de benef. t.* 2. *fol.* 63. Valensis *de benef. l.* 1. *tit.* 3. Garcia *t.* 2. *polit. regularis*, *fol.* 9.

12 Impugnatur tradita assertio.

Sed adversus hanc conclusionem illa expendi potest difficultas; nam licet admittere postulationem pendeat a potestate superioris, *c. postulationem*, *hoc tit.* tamen injuria fit postulantibus, si fine causa non admittatur, argumento legis 1. §. *penult. ff. de aqua pluvia*. Docent Lavorus *d. c.* 14. *n.* 9. & Pet. Greg. *d. c.* 3. sed in præsenti non erat causa, ob quam postulatio non admitteretur: ergo rejici non debebat. Probatur minor, nam cum pars minor, & sanior Capituli juste, & rationabiliter aliquid statuit, non minus ratum habetur, quam si a majori parte fiat, *c.* 1. *de his*, *quæ fiunt a majori*: sed in præsenti minor pars rationabiliter majori se opponens, postulavit Episcopum Imolensem: ergo ejus postulatio admitti debebat.

13 Qui postulare possint.

Qua difficultate minime refragante, vera est præsens assertio, pro cujus illustratione sciendum est, omnes illos posse postulare aliquem in Prælatum, qui possunt illum eligere. Hostiensis *in præsenti*, *& in summa hujus tituli*; unde mandatum ad eligendum datum, censetur datum ad postulandum, *c. in causis*, 36. *de elect.* Jul. Lavorus *c.* 14. *n.* 1. an omnes postulantes debeant consentire, ab Interpretibus hæsitatur? Et omnes debere consentire docet Cironius *in* 5. *compil. in c.* 1. *hoc tit.* motus eo fundamento, quia cum juri communi adversetur, & ex gratia quodammodo fieri dicatur; *ex nostro*, *c. bona*, incongruum est aliquibus ex Capitulo renuentibus, alios collegii benignitatem velle impartire, invitosque ad gratiam faciendam compellere, cum juris præceptum sit, uno contradicente gratiam fieri non posse, *c. precaria*, ubi Glossa; *verbo si quam gratiam*, 10. *q.* 1. Sed verius est, sufficere majorem partem Capituli, ut in aliis actibus desideratur, & observatur, ut docent Julius Lavorus *d. c.* 14. Corrasius *de beneficiis*, 3. *par. cap.* 2. Nec obstat Cironii fundamentum, nam procedit quando Capitulum gratiam facit; non vero quando eam petit, ut docuit Corrasius supra, *n.* 7. Deinde sciendum est, non sufficere eligentium concordem postulationem, sed desiderari caussam, sive utilitatem Ecclesiæ in ipsa postulatione; unde olim in Synodis, ubi approbatio postulationum fiebat, utilitas Ecclesiæ attendebatur, & inspiciebatur, & sic postulatio rejiciebatur, vel admittebatur, *c. Episcopus*, 23. *q.* 1. & ideo Eugenius III. R. P. relatus a Baronio *t.* 12. *anno* 1145. contradixit postulationem factam de Gujemano Cycensi Episcopo, in Archiepiscopum Magdeburgensem, quia nulla evidens utilitas eum postulasset: idem de Archiepiscopo Thessalonicensi refertur ab Innocentio III. *l.* 1. *ep.* 3.

14 Traditur ratio decidendi.

Ex quibus proficiscitur vera decidendi ratio hujus textus. Nam cum postulatio debeat fieri a majore parte Capituli, & ex eo, quia regulariter quod fit a majori parte Capituli, præsumitur factum a saniori, *c.* 1. *de his*, *quæ fiunt a majori parte*; ideo postulatio facta a majori quam tertia Capituli parte, non admittitur; & cum utilitas Ecclesiæ defideretur, nullaque in præsenti casu adesset, ideo postulatio admissa non fuit. Utilitas autem non aderat, quia in contrarium urgebat bonum publicum, quod privato præferendum est, juxta Philosophum *l.* 3. *polit. c.* 4. quod superiores præcipue respicere debent, *cap. scias* 7. *q.* 1. Cardinalis enim præerat exercitui in expeditione Terræ Sanctæ, ubi universalis Ecclesiæ commodis deserviebat: quare ejus postulatio admitti non debuit, utpote facta absque ulla utilitate. Nec tunc obstat difficultas supra adducta; nam postulatio in præsenti casu admissa non fuit ob prædictas caussas, ob quas Ecclesia Romana non consuevit similes admittere postulationes, ut docent Honorius III. *in c.* 2. *hoc tit:* Innoc. III. *l.* 1. *ep.* 138. *regest.* 13 ibi: *Postulationem de memorato Episcopo tantummodo factam a tribus, quamquam persona commendabilis haberetur, non duximus admittendam*. Unde recte, & consequenter idem Innocentius in præsenti postulationem ita cum contradictione factam rejicit.

15 Intelligitur caput scriptum de elect.

Sed superiori assertioni obstat text. *in c. scriptum*, *de elect.* ubi cum disceptetur caussa inter quemdam electum, & alium postulatum, deciditur, ut si duplo major fuerit inventus numerus postulantium, quam eligentium, postulatus admittatur. Ex qua decisione ita conficitur argumentum: En textum, ubi ad postulationem desideratur, ut postulatus habeat duplo majorem partem Capituli: ergo non sufficit pars major Capituli. Cui difficultati respondendum est asserendo, in eo textu non agi de postulato utcumque, sed de postulato concurrente cum electo; tunc enim non pars major, sed pars duplo major desideratur, *c. bona* 3. *hoc tit.* Docet Bosquetus *ad Innoc. lib.* 3. *epist.* 44. *regest.* 15. Unde cum in hoc textu postulatus non concurreret cum electo, sufficit major pars Capituli, ut electio admittatur.

16 Exponitur c. Eccles. de elect.

Secundo adversatur text. *in c. Ecclesia vestra* 55. *de elect.* ubi vacante quadam Ecclesia Canonici elegerunt sibi in Episcopum Cardinalem quemdam: & talis electio non cassatur a Pontifice, imo supponitur Cardinalem eligi posse in Episcopum: ergo non recte in nostro textu deciditur, Cardinalem in Episcopum postulari, non vero eligi debere: quod ex nostro textu docuerunt Azor. 2. *p. inst. l.* 4. *cap.* 3. *q.* 13. Gonz. *in reg.* 8. *gloss.* 44. *n.* 123. Borellus *in summa dec. tit.* 10. *n.* 8. Lavorus *de elect. c.* 16. *n.* 67. Huic difficultati duplici modo Doctores satisfaciunt. Primo asserendo, Cardinalem ibi in Episcopum electum non esse Cardin. urbis Romæ, sed tantum Canonicum Card. ipsius Ecclesiæ, quia ut in inscriptione hujus textus observavi, in aliquibus Ecclesiis Canonici privilegio Pontificis appellantur Cardinales; & sic eligi, non postulari. Moneta *de decimis*, *c.* 9. *q.* 3. *n.* 114. Secundo asserunt, ibi electionem accipi pro postulatione, ut in aliis passim usurpatur. Ita post Azorium, & Julium Lavorum docet Barbosa *in nostro textu*, *n.* 8.

CAPUT IV.

Idem *Præposito*, *& Capitulo* a *Strigonensi*.

BOnæ memoriæ Guillelmo Archiepiscopo vestro viam universæ carnis ingresso, cum in venerabilem fratrem nostrum *b* Colocensem Archiepiscopum postulandum a nobis contulissetis unanimiter vota vestra, & regium super hoc obtinuissetis assensum, Suffraganei Strigonensis Ecclesiæ, *c* Quinquecclesiensis videlicet, Ariensis, Pruensis, & Nitriensis Episcopi postulationi vestræ se opponere curaverunt, asserentes quod eis contemptis, qui jus habebant *d* eligendi vobiscum, postulatio eadem fuerat attentata: licet nuntii vestri proponerent ex adverso, quod super præfiniendo vobis Pontifice de gratia multoties suffraganeorum fuerat requisitus assensus, sed Episcopi vobis consilium denegaverunt. Nuntiis igitur in nostra præsentia constitutis, & proponentibus adversariis quædam alia contra postulationis vestræ processum, quæ in prioribus litteris meminimus nos plenius expressisse, quia nobis de propositis con-

constabat, ita duximus providendum, ut si Suffraganeis persistentibus in contradictione sua, vos postulationi vestræ volentes instare usque ad Septuagesimam tunc primo venturam, per procuratores idoneos ad omnia sufficienter instructos ad Sedem Apostolicam veniretis, ut Satuteremus utraque parte præsente, quid justitia suaderet. Si autem illi a contradictione cessarent, & vos proposito vestro instaretis, mitteretis ad præsentiam nostram personas idoneas infra terminum supradictum, qui super his quæ opportuna forent, nos redderent certiores. Quod si contradicentibus Episcopis memoratis, vos contingeret de jure vestro diffidere, ne laborem, & dolorem subiretis incassum, aliam personam provideretis vobis canonice in Pastorem. Ceterum cum inclytæ recordationis *e* Rex Ungariæ viam fuisset universæ carnis ingressus, quidam vestrum a postulatione, quam nobis præsentaveratis communiter, temere recedentes, aliis persistentibus in eadem, & ad Sedem Apostolicam appellantibus, prædictum Quinquecclesiensem Episcopum in Archiepiscopum postulaverunt, quorum votis nullus Suffraganeorum assensit, excepto dumtaxat Episcopo *f* Nitriensi. Et licet charissimus in Christo filius noster A. Ungariæ Rex Illustrissimus, tunc Dux Regni Ungariæ, L. nepotis sui Regis nomine, cujus tutelam, & regni curam ipsi frater ejus commiserat Gubernator, precum suarum primitias ad nos ad prædicti Colocensis postulationem transmiserit; postmodum tamen pro Quinquecclesiensi Episcopo ad Strigonensem Metropolim transferendo nobis per litteras suas humiliter supplicavit. Nos igitur super postulatione ipsa cum fratribus nostris habito diligenti tractatu, quoniam invenimus eam post appellationes interpositas, in multa discordia non solum Suffraganeorum, verum etiam Canonicorum Strigonensis Ecclesiæ, contra formam mandati nostri, regulari ordine prætermisso, temere celebratam, illam exigente justitia non duximus admittendam; sed vobis dedimus in mandatis, ut ad providendum vobis Pastorem idoneum, per electionem canonicam, vel postulationem concordem, requisito Suffraganeorum assensu, si esset de antiqua, & approbata *g* consuetudine requirendus, infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum procedere curaretis; alioquin ex tunc, ne gregi Dominico deesset diutius cura pastoralis, nos ipsi provideremus Ecclesiæ viduatæ, secundum officii nostri debitum, ex plenitudine Apostolicæ potestatis. Verum antequam ad vos nostræ litteræ pervenirent, innitentes mandato priori, Suffraganeos qui erant in Regno præsentes, præter prædictum Quinquecclasiensem Episcopum, ad concordiam revocatis, ita quod Atriensis, Esprumensis, & Jacienfis Episcopi, pro translatione Colocensis Archiepiscopi, suo jure salvo in posterum, cui propter afflictionem, & necessitatem Strigonensis Ecclesiæ supersedebant ad præsens, nos humiliter rogaverunt, prædicto Nitriensi scribente, quod si non placeret nobis electionem factam de Quinquecclesiensi admittere, postulationem alterius, sine præjudicio juris sui suppliciter exorabant. Post hæc autem mandato nostro suscepto, ii qui convenerant in Archiepiscopum Colocensem, ab ejus postulatione, sicut fuit propositum coram nobis, recedere noluerunt: sed innovantes eamdem, quibusdam Canonicorum qui in partem alteram declinaverant, reversis ad se, cum prædictis Regis, & Suffraganeorum litteris dilectum filium A. Magistrum Scholarum, M. Thesaurarium, Archidiaconum I. & N. Canonicos Strigonensis Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam destinaverunt, super postulatione sua dispensationis gratiam petituros. Ceteri vero, qui Quinquecclesiensem Episcopum postulaverant, sicut ex eorum parte fuit propositum coram nobis, convenientes in unum ceteros Canonicos ad Capitulum convocarunt, ad postulationem concordem, vel electionem canonicam, juxta mandatum Apostolicum infra terminum præfixum procedere cupientes: sed illis nolentibus convenire, intelligentes penes se tantum remansisse facultatem liberam eligendi, quia reliqui jus suum prosequi negligebant, prædictum Quinquecclesiensem Episcopum, licet ne id fieret, fuisset ab aliis appellatum, denuo postularunt. Cum ergo utriusque partis nuntii ad Sedem Apostolicam pervenissent, ii qui pro Quinquecclesiensi Episcopo venerant, proponebant partem suam juxta mandatum Apostolicum processisse, non obstante discordia, vel contradictione eorum, qui juxta formam mandati nostri procedere contemnentes, illo recepto nec elegerant quemquam canonice, nec concorditer postularant: unde concors debebat eorum postulatio reputari, cum ceteri tamquam jussionis Apostolicæ contemptores, eligendi & postulandi se jure privassent, dum nec postulare, nec eligere voluerunt, imo etiam nec ad Capitulum convenire. Ad hoc autem poterat responderi, quod illi, qui Colocensem Archiepiscopum postulaverant, formam secuti fuerant per nostras litteras sibi datam; quoniam innitentes postulationi priori, juxta tenorem litterarum priorum nostrarum, concordem fecerant, quæ fuerat prius discors, dum Suffraganeos ad concordiam revocaverant. Nec nocebat eorum discordia, qui postulaverunt, cum prius in postulatione Archiepiscopi supradicti convenissetis pariter universi, & consensum vestrum annotatum litteris, & subscriptionibus propriis roboratum petiissetis a nobis per communes nuntios confirmari, nosque vestram recepissemus postulationem dijudicandam, si Suffraganei forsitan in contradictione persisterent, aut si concederent approbandam. Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & judicium nostrum pendere ex eorum arbitrio videretur. Poterat quoque addi, quod pars altera mandatum Apostolicum non servarat, utpote quæ nec postulationem concordem, nec electionem canonicam celebratam, cum in majori contradictione, quam prius, non solum Canonicorum, sed Suffraganeorum; etiam ipso Rege adversæ parti favente, prædictum Quinquecclesiensem Episcopum postulasset. Auditis igitur his, & aliis, quæ fuerunt hinc inde proposita, & habito super his cum fratribus nostris diligenti tractatu, intelleximus, quod etsi neutra esset postulatio approbanda, juxta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cetero Strigonensis Ecclesiæ provisio pertineret. Quia vero non plenam de personis illius Regni habebamus notitiam, ideo non poteramus salva conscientia nostra, eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno *h* Ungariæ originem duceret, congrue providere; nec vellemus ei perficere alienum, quamvis & honestius videretur, si Suffraganeus ad Metropolim suam accederet, quam si Archiepiscopus ad Metropolim transferretur, partem tamen elegimus potiorem. Et eumdem Archiepiscopum, in quem omnes, quorum consensus in electione, vel postulatione Pastoris requiritur, licet diversis temporibus, convenerant, a vinculo, quo tenebatur Colocensis Ecclesia, absolventes, ad Metropolim Strigonensem transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi, pallium ei ad nomen & usum ejusdem Ecclesiæ transmissuri.

NOTÆ:

1 a *Strigon.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 4. Ex qua textum transcribo. Strigonensis Archiepiscopatus est in in Regno Ungariæ, cujus Archipræsul Primas est totius Regni; a quo Reges Ungariæ coronam accipiunt; ac etiam Legatus natus est Sedis Apostolicæ, ut notavit Bosq. *ad Innoc. III. l.* 2. *epist.* 155.

2 b *Colocen.*) In Ungaria est Civitas Collecia, vel Kalloquia, a Collecianis dicta. Bonfinius *in rebus Ungariæ*, *decade* 1. *l.* 1. Habet Ecclesiam Metropolitanam nullo jure subjectam Strigonensi, unde tot controversias legimus disceptatas inter Colocensem, & Strigonensem Archipræsules apud Innoc. III. *l.* 2. *ep.* 155. ubi notavit Bosquetus. Mentio Colocensis Ecclesiæ *fit in c. dudum*, 22. *de elect. c. cum inferior*, *de maj. & obed. c. ex parte*, *de arbitriis*, *c. exhibita*, *de judiciis*, *c. intellecto* 33. *de jurejur.* & de ea aliqua notarunt Innoc. Cironius, *in eod. textu*, *in* 5. *compilatione*, Cophinus *de sacra politia*, *tit.* 1. *fol.* 84.

3 c *Quinquecclesiensis.*) Sunt Ecclesiæ Cathedrales in Ungharia, suffraganeæ Metropolis Strigonensis, ut constat ex Ungariæ descriptione, & Episcopatum serie relata a Barbosa *p.* 1. *de potest. Episc.*

4 d *Eligendi.*) Olim enim in electione Episcopi tres ejusdem provinciæ Episcopi saltem interesse debebant, reliquorum Suffraganeorum consensu antecedente, *c. non licet*, 63. *dist. can.* 4. *Synodi Nicænæ*, *can.* 5. *Synodi septimæ*. D. Cyprian. *ep.* 98. hæc proferens: *Episcopi ejusdem provinciæ proximæ quoque conveniant; & Episcopus eligatur*. Dicemus & nos *in c. si Archiep. de temp. ordin.*

5 e *Rex.*) Andreas videlicet II. cui rescribitur *in c. intellecto* 33. *de jurejur.*

6 f *Nitriensi.*) Vel Litriensi, qui est unus ex Ungariæ Præsulibus, Regni Cancellarius, Strigonensis suffraganeus.

7 g *Consuetudine.*) Ex consuetudine enim potest ad aliquos spectare electio, *c. querelam*, *de ele. c. cum dilectus*, *de consuet.* Julius Lavorus *de elect. c.* 15. *n.* 9.

8 h *Ungharia originem.*) Sua sane digna illustratione verba, quam dabimus *in c. fin. de cleric. peregr.*

COMMENTARIUM.

IN hoc textu expresse dicitur, postulantes a postulatione recedere non posse, ex quo ipsa postulatio præsentata est superiori; & ita ex hoc textu docuerunt Julius Lavor. *de elect. c.* 15. *n.* 8. Silvest. *v. Postulat. q.* 8. Petr. Greg. *de elect. c.* 2. Jacobus de Zecchis *in repet. ad hunc textum*, Laym. *in sum. de elect. l.* 1. Nec obstat, per postulationem postulatum aliquod jus non acquirere, *c. per postulationem*, ubi, *nullum jus*: unde postulatus non potest exercere aliqua, quæ sint jurisdictionis, aut ordinis. Julius Lavorus *supra*: ergo cum nullum jus postulato acquisitum sit, poterunt postulantes a postulatione recedere, & alium postulare. Nam respondetur, verius esse postulantes non posse variare, postulatione coram superiore præsentata, ne illudatur superioris auctoritas, & videatur ejus iudi-

judicium ex varietate postulantium pendere: præcipue cum per eam satis voluntatem suam superiori demonstraverint, & sic eam postea mutare non possunt: & licet jus acquisitum non sit postulatio, tamen id procedit, quia totum ex gratia superioris pendet, qui potest confirmare, vel respuere; at quoad postulantes jam perfecta est actio, dum postulatio superiori præsentata est, unde ante præsentationem variare poterunt, postea vero neutiquam. Ad hanc etiam decisionem spectat sequens textus, qui etiam reperitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. 5.*

CAPUT V.

Idem *Capitulo Strigonensi.*

POstulationem, quam celebratis: *Et infra*: Licet ergo per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine præjudicio alicujus postulationem potuissemus repellere memoratam: ut tamen vobis de speciali gratia consulamus; ita duximus providendum, quod per procuratores idoneos, ad omnia sufficienter instructos, nostro vos conspectui præsentetis, quatenus utraque parte præsente, quod justum fuerit, decernamus.

CAPUT VI.

Honorius III. *Archiepiscopo* a *Calaritano.*

ETsi unanimiter vota vestra concurrerint ad venerabilem fratrem nostrum Svellensem *b* Episcopum in Ecclesiæ vestræ Archiepiscopum eligendum, quum suæ alligatus Ecclesiæ liberum non habeat sine nostra permissione volatum, electionem de ipso factam, tamquam contra canones minus licite attentatam, de consilio fratrum nostrorum duximus irritandam; quam eligi nullo jure potuerit, sed potius postulari. Volentes tamen quantum cum Deo possumus, desideriis vestris benigno favore occurrere, dilectis filiis H. Subd. & R. *d* Capellanis nostris, Apostolicæ Sedis Legatis duximus injungendum, ut & vota vestra circa ipsum exquirant, & personæ merita vice nostra examinent diligenter, eumdem ad nos cum litteris suis rei veritatem continentibus destinando, ut si idoneus repertus fuerit, disponente Domino, & ipsi, & Ecclesiæ vestræ utiliter provideatur.

NOTÆ.

1 a *Callaritano.*) Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. c. 1.* Calaris vulgo *Caller*, *Cagliari*, non tantum Metropolis civilis fuit totius Regni Sardiniæ, verum & Ecclesiastica. Unde & illam primariam urbem Sardiniæ vocat Theodoret. *l. 2. hist. Eccl. c. 15.* & Januarius ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus dicitur a D. Greg. *l. 1. ind. 9. ep. 60.* qui ad eum multas scripsit epistolas, eique præcepit *l. 4. ep. 9.* ut bis in anno Concilia provineiæ suæ celebraret. Imo Præsulem Calaritanum Metropolitanum fuisse insularum Balearum, probat Carolus a Sancto Paulo *l. 1. Geographiæ sacræ, fol. 49.* & plura de origine, & magnitudine ipsius urbis congesserunt Dionysius Bonfantius *in histor. Sardiniæ, l. 1. c. 1. l. 12. c. 1. l. 13. cap. fin.* D. Francisc. Vicus *p. 1. hist. Sardin. c. 13.* & de ejusdem primatu plura congessit Barb. *in c. si diligenti, de for. compt. n. 17. & de potest. Ep. tit. 3.* Ejus mentio fit *in c. nisi 10. de renunt. c. eam te 22. de jurejur. c. 3. de offic. ord. in 5. compil. c. ult. de sent. excom. in eadem*, ubi notavit Citonius.

b *Svellensem.*) Perperam Raymundus legit *Severinum.* Svellis enim civitas erat in Sardinia, Episcopali Cathedra decorata, postea tamen translata fuit Sedes, & unita in Calaritanam.

3 c *Volatum.*) Simili verbo usus fuit Pontifex *in c. nisi de renunt.* qui enim de uno Episcopatu in alium se transfert, invasor, & raptor dicitur, *can. 16. Synodi Antiochenæ.* Volare, & involare, importat idem ac eripere, *l. expugnatur §. de incendio.* Ex Lucano, & Sidonio probat Cyronius *in præsenti.*

4 d *Capellanis nostris.*) Qui hodie Clerici Cameræ Apostolicæ nuncupatur, quorum munia, jura, & dignitates refert Cohelius *in notit. Card. c. 47.*

COMMENTARIUM.

5 Concilio traditur, & probatur. EX hoc textu talis deducitur assertio: *Episcopus non est eligendus, & promoveendus ad aliam Ecclesiam, sed postulandus.* Probant eam textus *in c. 10. & 11. 61. dist. c. bona 4. c. unic. hoc tit. in 6. c. bona 23. c. in causis 30. c. scriptum 40. de elect. c. ult. de transl. Episc. c. post translationem, de renunt. extrav. unica, hoc tit.* Illustrant Antonius Chucus *l. 2. de instr. c. 4.* Acunna *in c. Osius, 61. dist.* Corrasius *de benef. p. 3. c. 2.* Bosquetus *ad Innoc. l. 1. ep. 23.* Duarenus *l. 5. de sacris, c. 2.* Julius Lavorus *de elect. dist. c. 14.* Petr. Greg. & alii relati a Barbosa *de jure Eccles. l. 1. c. 19. n. 3.* Cironius *in nostro textu*, Dartis *de benef. secu. 6. c. 2. fol. 63.* Valensis, *de benef. l. 1. tit. 3.* Hieron. Garzia *tom. 2. polit. regul. fol. 9.* Laym. *in sum. tit. de elect. c. 1. q. 1.* Angujanus *l. 5. de legib. c. 5.*

6 Impugnatur tradita assertio. Sed præsens assertio difficilis valde redditur ex ea juris consideratione: nam si Episcopus non posset eligi, sed postulari, maxime quia nexus, & alligatus est alteri Ecclesiæ, ut in præsenti docet Honorius: sed hæc ratio non est sufficiens, ut postulatio desideretur: igitur Episcopus eligi debet ad aliam Ecclesiam. Probatur minor: nam clericus alligatus est Ecclesiæ parochiali, adeo ut inconsulto Episcopo eam dimittere non valeat, *c. admonet de renunt.* & potest eligi ad aliam dignitatem, *c. inter canonicos de elect.* Similiter Abbas immediate subjectus Romano Pontifici, qui sine ejus, vel Legati licentia dimittere eam dignitatem non valet, *c. cum venerabilis, de consuet.* tamen potest eligi in Prælatum alterius monasterii; *c. Abbatem de elect. in 6.* ergo ut Prælatus unius Ecclesiæ transferatur ad aliam, non est necessaria postulatio, sed sufficit electio. Augetur hæc difficultas ex eo, nam electio Canonicorum in præsenti specie debebat a Pontifice admitti ex eo: nam sive postulandum se eligere, sive eligendum se postulare dixissent, nihil contra Canones fecisse viderentur, cum constaret eos gratiam a Pontifice petere voluisse, dum illi Episcopum Svellensem proposuerunt confirmandum, quem jure suo eligere non posse fatebantur *c. post translationem, de rem.* ergo admittenda erat electio ab Honorio III.

7 Postulari qui possint. Qua dubitandi ratione minime refragante, defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione scire oportet, antiquis, recentioribusque Ecclesiæ canonibus accurate prospectum esse, ut Prælatorum Ecclesiæ ambitio tollatur, & ut indignus aliquo modo, qui dignitates ambit, ab eis arceatur, ut dicemus *ad tit. de transl. Episc.* Verum hæc disciplina absque aliqua interpretatione, & modificatione observari non potuit; quid enim si vir magnæ eruditionis, & sanctimoniæ reperiatur, qui adhuc sacris non sit initiatus Ordinibus, aut ætatem a jure præscriptam non sit adeptus? Quid si Ecclesiæ magna utilitas suadeat Episcopum in aliam Ecclesiam æque Cathedralem, seu Archiepiscopalem transferri? Visum itaque est Ecclesiæ Patribus hujus juris conditoribus, ita disciplinam illam veterem temperare, ut summum jus æquitati cederet, & nihilominus salva sit priscarum constitutionum reverentia; non enim electoribus permittitur hominem sæcularem, aut non legitimæ ætatis, vel alterius civitatis Episcopum eligere: sed superiorem adire, veniamque petere, & gratiam postulare, *c. innotuit, c. cum olim, de elect.* Non autem postulari possunt, qui ob animi, aut corporis vitium eligi nequeunt, *c. scriptum, 40. de elect.* veluti criminosi, homicidæ, perjuri notorii, bigami, corpore vitiati, & alii irregulares; imo eos postulantes privantur potestate postulandi, *d. c. scriptum.* Azor. *p. 2. inst. l. 6. c. 17. q. 9.* Sed ii demum postulari possunt, quorum dispensabilis est defectus, quique alioquin digni essent, ut laici non justæ ætatis illegitime nati, aut qui in Abbatem professus est, *c. bona 4. hoc tit. c. cum monasterium, c. innotuit, 20. de elect. c. statuimus, §. e contra, cum seq. eod. tit. lib. 6.* & plerumque Episcopus alterius Ecclesiæ, *c. 1. 2. & 3. hoc tit.* cujus postulationis rarum apud veteres extat exemplum, nisi forte in promotione D. Joan. Chrysostomi, cujus mentio extat *l. 10. historiæ tripart. c. 3.* sed neque ea huic postulationi similis est, ut probat Duarenus *l. 5. de sacris Ecclesiæ, c. 2.* Si autem qui eligibilis est, postuletur, postulatio non sustinetur, quia ejus forma non servatur, *c. un. hoc tit. l. 6.* ubi Moez, Lavorus *d. c. 14. n. 2.*

Secundo sciendum est, in hac postulatione consentire debere ipsum postulatum, si laicus postuletur in Episcopum, aut sacerdotem; cum nemo cogendus sit vovere castitatem, *c. ubi ita, c. gesta, 74. dist.* Consentire etiam debet Episcopus, cujus jurisdictioni subjicitur, *c. 2. & 3. dist. 71.* & si monachus in Episcopum postuletur, Abbatis consensus desideratur, argumento textus *in c. si quis monachus, 16. q. 1. c. quam sit, 18. q. 2.* ut contingit in postulatione magni Hincmari, ut ex Flodoardo refert Cironius *in parat. ad hunc tit.* Tandem superioris auctoritas ad gratiam postulationis desideratur, citra quam postulatio sustineri non potest. Ille autem superior est adeundus, qui confirmandi electionem jus habet, ut olim in Synodis provincialibus, in quibus de Episcoporum electionibus, & translationibus agebatur, *c. si Ep. 7. q. 2.* Sed postquam Rom. Pontifici facultas confirmandi Episcopos tantum competit, illi postulatio præsentanda est, & magna cum ratione; nam cum matrimonii vinculum spirituale detur inter Episcopum, & Ecclesiam, *c. inter de transl. Episc.* ab alio quam a Pontifice dissolvi nequit, præcipue cum hæc causa una sit ex majoribus: quare ab alio, quam a Pontifice judicari non valet. Docet Bosquetus *in notis ad Innoc. l. 1. ep. 13.*

8 Gratia superioris desideratur.

Quibus ita prælibatis, dignoscitur jam vera ratio præsentis decisionis. Cum enim per matrimonium, quod extat celebratum inter Episcopum, & Ecclesiam, sit Episcopus alligatus eidem, & eam, ut conjugem habeat, *d. c. inter*, non poterit propria auctoritate eam dimittere, & in aliam se transferre, *c. 7. sicut, q. 1.* Necessario ergo est primo absolvendus ab illo priori vinculo: quæ absolutio mediante postulatione fieri debet, non electione; & sic licet eligi non possit, tamen postulari valet; tunc enim ipse non se transfert,

9 Traditur de decisione.

fert, sed transfertur a superiore in aliam Ecclesiam. Quare utilitate Ecclesiæ suadente, asserit Vivianus *in rationali ad hunc textum*, posse Episcopum cogi transire de una Ecclesia in aliam. Nec tunc obstat ratio dubitandi supra adducta; nam vero est, Parochum alligatum Ecclesiæ posse eligi, non vero postulari in Prælatum, *d. c. si Abbatem*: docent Turrecremata, & Acunna *in c. Osius, 61. dist.* Abbas *in præsenti, n. 6. & 8.* Ratio est, quia inter Parochum, & Ecclesiam non datur verum Matrimonium spirituale, quia Parochus non habet perfectum pastorale officium, nec vinculum perpetuum, quod est de substantia Matrimonii: unde fit, quod licet Episcopus non posset ingredi religionem sine consensu Pontificis, *c. nisi cum pridem, de renunc.* Parochus tamen potest sine consensu Episcopi religionem profiteri, *c. duc 19. q. 2.* D. Th. *2. 2. q. 184. art. 9. in corp.* unde eligi potest in Prælatum, non vero postulari necesse est. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, quia in præsenti casu Canonici Calaritani tantum elegerunt, non vero postularunt; alias enim si uterentur ea forma, *Eligimus postulandum*, postulatio sustineretur, *c. post translationem 11. de transl. Episcopi*; licet hodie, ut omnis ambiguitas tollatur, talis forma postulationis improbata sit, *c. unic. hoc tit. lib. 6.* ubi Moez.

TITULUS VI.

De Electione, & electi potestate.

CAPUT PRIMUM.

a Lucius Papa.

NUllus in Ecclesia, ubi duo vel tres fratres in congregatione fuerint, eligatur Presbyter, nisi eorum electione, & convocatis eisdem etiam Parochianis, atque in unum consentientibus. Si vero aliter quis Ecclesiam adeptus fuerit, eo quod per cupiditatem illam acquisierit, atque contra canonicæ regulæ disciplinam egerit, expellatur.

NOTÆ.

1 a *Lucius.*) Alias legitur *Pius*, alias *Alexander*, alibi etiam *Gregorius*, & hujus textus auctorem penitus ignorari, testantur Ant. Aug. *in notis ad primam collectionem in hoc textu*, Barbosa *in præsenti, & de potest. Episc. 1. par. tit. 1. c. 15. nu. 3.* Ego existimabam auctorem hujus textus esse Lucium, non ut aliqui voluerunt tertium, sed primum, qui Ecclesiæ Romanæ præfuit ex ann. 255. usque ad ann. 257. in quo post multa omni laude digna gesta, sub Imperatoribus Gallo, & Volusiano in martyrio diem clausit ultimum. Ejus constitutiones extant primo tomo Conciliorum, & aliæ injuria temporum perierunt: ex quibus hanc decretalem deductam esse, & sic Lucio I. esse tribuendam, facile suadetur sequenti argumento. Nam juxta seriem temporum, quæ maxime in hac sexta Decretalium compilatione servatur, hic textus non potest tribui Lucio III. Alexandro aut Gregorio, qui omnes floruerunt post Concil. Sardicense, ex quo sequens decisio compilata fuit; unde necessario hæc decisio tribuenda est Lucio I. qui multis retro annis ante Conc. Sardicense vita functus est. Deinde pro nostro opinamento illud facit; nam noster textus continet veteris Ecclesiasticæ disciplinæ observantiam circa congregationes Monachorum, quæ jam ævo Lucii III. invaluerant, quod ut manifestum fiat, & vera luce præsens textus donetur; ejus verum intellectum ex veteri disciplina repetimus; nam temporum ignoratione in nostro jure Doctores sæpius peccant. Sciendum igitur est Monachos priscis Ecclesiæ temporibus labori rustico, & aliis artificiis affidue deditos, ad Sacerdotii culmen non ascendisse, quin imo in hierarchia post Ecclesiastica Cantores, & Ostiarios gradum obtinuisse, *c. a Subdiacono, 93. dist. c. alia causa, c. Ecclesia 16. q. 1. c. quidam, §. clerici, 18. q. 3. l. generaliter, Cod. de sacros. Eccl.* plura Benedictus Ephtenus *in vita S. Benedicti, prolog. 18. §. 3.* Gibal. *de claus. disp. 2. c. 2. §. 3.* Quintan. *l. 3. Eccl. n. 11.* Bignon. *ad Marculf. l. 1. c. 2.* Cujacius *in novel. 5.* Justin. Cophin. *l. 2. monast. tit. 3.* Ant. Aug. *in epist. l. 3. tit. 32.* Hallier. *de hierar. fol. 379.* igitur cum Monachi nullis essent sacris Ordinibus initiati, sed potius laici, Sacerdos ex clericorum corpore accersitus in Monasterio ordinabatur, ut Missæ Sacrificium, aliaque Ecclesiastica munia obiret. Epiphanius *ep. 60.* Conc. Chalcedonense quartum *can. 8. Clerici in ptochiis, & in Monasteriis, aut martyriis constituti sub potestate sint ejus, qui in ea civitate est Episcopus.* Textus ita intelligendus *in c. neminem, 70. dist.* Postea tamen coeperunt ipsæ congregationes unum ex Monachis eligere, qui ab Episcopo Presbyter ordinatus in Monasterio divina officia celebraret, *c. 1. c. sunt nonnulli, 16. q. 1.* qui eligebatur ab ipsa congregatione, atque Abbas ab initio petebat, ut illum sacris initiaret, *c. Presbyteri, dist. 24.* Greg. Magnus *l. 5. epist. 41.* ibi: *Cum sua congregatione magnopere a nobis postulavit, in eodem Monasterio presbyterum, qui sacra Missarum sollemnia celebrare debeat, ordinari.* Expressius idem *l. 7. epist. 94. Ut in congregatione Monachorum, quæ in Monasterio Prætoriano consistit, eum quem sibi de congregatione sua unanimiter duxerint eligendum, in prædicto Monasterio sine mora, vel accusatione aliqua Presbyterum debeant Episcopus ordinare.* Hujus Presbyteri meminit D. Aug. *in sua regula, c. 9. Præposito tamquam patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Et *c. 24. Convictus vero secundum Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad sacerdotionem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam.* Cassianus *l. 4. collat. c. 34.* ubi notavit Gazeus. Omitto alia, quæ pro temporum varietate circa Monachorum ordinationem observata fuerint, cum dicta sufficiant ad nostri textus veram expositionem. Jubetur enim in eo, ut congregatio, ubi duo, aut tres fuerunt (priscis enim his temporibus Monachi in locis desertis, latibulis, seu cellulis secedebant) Presbyterum eligant simul cum Parochianis; nam in ejus Presbyteri electione populi consensus desiderabatur, *c. obeuntibus, 63. dist. c. Abbatem, 18. q. 2.* & qui præter electionem prædictam occupaverat Ecclesiam, expellebatur: quæ expulsionis pœna tantum in Monacho cadere poterat. Unde si hæc omnia recte perpendantur, apparebit nostram decisionem temporibus Lucii I. magnopere convenire, cum illic prædicta vigeret monasticæ disciplinæ observantia. Hæc ex proprio captu pro textus hujus expositione adduxisse sufficiat, nunc juxta mentem Raymundi, & omnium interpretum acceptionem, conclusionem deducamus, & ad examen reducamus.

COMMENTARIUM.

2 Conclusio traditur, & probatur. SIt conclu si: *Prælatus in qualibet congregatione ab ipsa debet eligi, non vero alio modo Prælaturam occupare.* Probant text. *in c. Adrianus, 63. dist. c. in nomine, dist. 23. cap. miramur, cap. 6 multis, 61. dist. c. cum scriptura 83. 1. q. 1. c. Abbatem, c. nullus, c. hoc, c. quam sit, §. defuncto, 18. q. 2. c. congregatio, 16. qu. ult. c. cum terra 14. c. cum Ecclesia 31. c. si gens 55. hoc tit. cap. cum dilectus, de consuet. cap. nobis, 29. de jurepatr. l. 46. C. de sacros. Eccl. novel. 5. Justiniani, c. 8.* varia Galliæ Concilia, & religionum statuta cumulat Cophin. *l. 1. monast. tit. 1.* Illustrant Crespetius *in summa verb. Abbas, el 1.* Petrus Greg. *de eleft. c. 4. in princip.* Valasc. *alleg. 40.* Novus Notator Petri Blesensis *ad ep. 48.* Suarez *de relig. tom. 4. l. 1. c. 3. n. 8.* Duarenus *l. 5. de sacris, cap. 1.* Garcia *de Benef. 5. part. c. 4. n. 9.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 5. quæst. 1. & 8.* Paulus de Eleazar. *in hoc textu*, Bellarm. *l. 1. de clericis, c. 7.* Azor. *2. tom. moral. l. 3. c. 28. qu. 4.* Chucus *lib. 4. instit. tit. 1. n. 2.* Vighellius *in met. juris can. fol. 329.* Menardus *ad concord. regul. cap. 4.*

Sed hæc assertio difficilis redditur ex sequenti consideratione: nam Prælatos Ecclesiarum potius successione, aut optione, quam electione admitti, politiæ Ecclesiasticæ congruum est, ita ut defuncto Prælato, antiquior in ipsa dignitate succedat; ergo non recte in præsenti decidit, tantum per electionem esse admittendos. Antecedens probatur: nam ut ex nostro textu, & vulgatis constat, summa Ecclesiæ cura fuit semper repellere cupiditatem, & ambitum in officiis, & dignitatibus Ecclesiasticis: sed quis nescit, ab ipsis incunabilis ingenitam esse hominibus dominandi cupiditatem? Unde fit, ut vivente etiam Prælato, sæpe de ejus successione tractetur, inde instruuntur insidiæ, factiones oriuntur, ut non sine magno dolore nostris temporibus contingit. Quid autem mali afferant factiones istæ pro dignitatis ambitu, testantur abunde miserrima Romanorum bella civilia, Marci, Syllæ, Lepidi, Cæsaris, & Pompeji, Antonii, & Augusti, quæ quidem cessant, cum per successionem, aut optionem certus successor designatur, ut considerat Petr. Greg. *l. 7. de republ. c. 4.* & polite, ac politice monuit Lipsius *l. 2. Monit. c. 5.* unde apud tot nationes invaluit, ut potius successione, quam electione Principes admitterentur, quas consert Cochier *in thesauro polit. l. 1. c. 2.* igitur non per electionem, sed per successionem aut optionem Prælatus est designandus. Accedit nam aut congregatio nostri textus erat sæcularis, Canonicorum videlicet; aut regularis, scilicet Monachorum: si sæcularis ad Pontificem spectabat Episcopi electio, *c. 1. & 2. 22. dist.* si regularis, Episcopus instituit Prælatum, *c. 1. de supplenda*: igitur nunquam ad congregationem ipsam sui Prælati electio spectare poterat.

Hac dubitandi ratione minime obstante, præsens assertio defensanda est, ad cujus expositionem observandum est, omnem politicam gubernationem secundum receptam prudentum sententiam, vel unius esse, quæ dicitur monarchia; vel optimatum, quæ Aristocratia appellatur, vel populi, quæ Democratia dicitur. Docent Plato *in polit.* Aristoteles *l. 3. polit. c. 5.* Tacitus *l. 4. annal. c. 33.* fuse Arnisæ. *tom. 1. l. 1. de republ. & l. 2. c. 2. seq. 4.* Inter has regiminis species optimam esse monarchiam, ex Aristotele, Platone, & Socrate docent Cochier *in thesauro polit. l. 1. c. 3.* Bodinus *de republ. l. 2. c. 2. cum seq.* Petrus Greg. *eod. tr. sup.* Bellarm. *l. 1. de Romano Pont. c. 4.* Bernegerus *in Tacit. c. 55.* Salcedo *de regim. Princ. l. 7. c. 4.* Marquez *in suo gubernatore, l. 2. c. 3.* Nam ut in universo orbe unus Deus, in homine unum cor; ita Imperium unius animo est regendum. Et certe unius principatum ipsa commendat antiquitas; nam ut ait Cicero *lib. 3. de legib. Omnes antiquas nationes Regibus*

3 De Monarchia.

quos-